This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

TAYLOR INSTITUTION

PRESENTED TO THE LIBRARY

BY

PROFESSOR H. G. FIEDLER

Fiedler J 3395

E. 2.

FRIDERICI PLATNERI
LANX SATVRA



ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA
CIↄ IↄCCLVIII

TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY OF OXFORD
LIBRARY

VIRO ILLVSTRI

AMPLISSIMOQVE

IOH. GOTLIB LEYSERO

IVRIS CONSVLTO

DYNASTAE GERSDORFII
IN SACRO CONSISTORIO ET SENATV
ECCLESIASTICO REGIO ELECTORALI
DRESD. CONSILIARIO

PATRONO OPTIMO

S. D. P

FRIDERICVS PLATNER

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Quamuis, Vir Illuſtris, Tuorum in me meritorum memoria, poſtquam ante biennium me Dreſdae aduenam, tam liberaliter exciperes, et auctoritate Tua iuuares, quotidie, cum ſingulari voluptate mihi obuerſata, iam dudum a me quoddam non ingrati animi teſtimonium, non tam exigere, quam flagitare videbatur; nondum tamen talis ad Te deferendi facultatem conſequi potui, quale et omnem meam erga Te reuerentiam atque pietatem exprimere, et Tua elegantia, Tuoque iudicio, non plane indignum videri poſſet. Enimuero, vti facile intellexi, ſi talia in eiusmodi teſtimonio requirerem, nullo tempore meae pietatis de-

clarandae cupiditati ſatisfieri poſſe, ita, quam mihi hic libellus obtulit occaſionem arripere, quam officio longius deeſſe meo malui.

Niſi vero Tu is eſſes, Vir Illuſtris, qui huic quoque litterarum generi, in quo hic liber verſatur, aliquod pretium ſtatuendum exiſtimet, non ſane auſus eſſem, hoc comite ad Te accedere. Eſt enim is non ex eo genere, in quo iureconſultos plerique noſtro tempore vnice iubeant elaborare, ſed e manſuetiori et cum iurisprudentia parum coniuncto. Quod ſi itaque peccari a iuriſprudentiae ſtudioſo queat, ſi aliis quoque litteris praeter artem ſuam, operam det, ego ſane, qui non poſſum diffiteri, me patris inprimis exemplo, ad talia ſtudia applicuiſſe animum, vereri illo-

rum

rum reprehenſionem nunc praeſertim debeo, cum publicare librum audeo, qui tam male perditi temporis teſtis ſit.

Atque, ne talis accuſatio mihi moleſta ſit, omniſque labor in hoc libello conſumtus vitio vertatur, tali mihi patrono opus eſſe video, qualis Tu es, Vir Illuſtris, qui ſuo exemplo, ac ſuae eruditionis in hac quoque litterarum parte collocatae, praeſtantia, meam cauſſam poſſit omnibus probare. Etenim, quemadmodum omnes in Te fidem et abſtinentiam ſingularem, in cauendo prouidentiam, in reſpondendo facilitatem et doctrinam admirantur, et qui veram laudem iuriſprudentiae appetant, Tuum exemplum imitari ſtudent, ita quoque omnes, quibus Tecum colloqui contingit, Tua humanitate, ac ſuaui-

tate, qua omnes Tuos ſermones condire ſoles, ita Tibi deuinciuntur, vt quantum illis venerandus, tantum his amabilis videare.

Ac propterea non dubito, quin hunc librum, nulla re, niſi offerentis pietate probabilem, beneuole ſis excepturus, quamuis in eo nec Africani nodos extricari, nec Scaeuolae breuitatem explicari, ſed virtutis et litterarum ſtudium hominibus commendari videas.

Quod, vt facerem, ipſa me etiam muneris mei ratio adegit. Si enim verum eſt, omnibus, qui docere in litterarum Vniuerſitatibus iuuentutem iubeantur, inprimis elaborandum eſſe, vt ad verae doctrinae

fon-

fontes eam adducant; a compendiariae vero doctrinae vanitate et facilitate deterreant, nemo ſane iure me reprehendet, etſi riſui expoſitos non immerito, ſine omni bile aut ſingulorum damno et infamia, tales ſolemnes noſtro tempore plerorumque errores videat. Solet enim ipſa haec ridendi opportunitas iuuenibus data, facilius eorum animos admonere, vt ſibi, ne in ſimilem riſum incidant, diligentius caueant. Quod ſi vel apud paucos conſecutus fuero, ſatis magnam laboris mei mercedem mihi retuliſſe videbor.

Sed, nulla res mihi iucundior erit, quam ſi intellexero Tuum mihi patrocinium huius libri precibus confirmatum fuiſſe. Nam cum nulla res ſit, qua augeri humana felicitas

 poſſit,

*poſſit, quam Tibi Tuiſque non ap-
precer, ita profecto mihi nihil ad
animi mei ſenſum ſuauius contingere,
poſſe arbitror, quam ſi Tuo fauore
perpetuo me dignum habueris. Vale.
Scripſi in Academia Lipſienſi a. d.
XVIIII. Aprilis* cIↄ Iↄ CCLVIII

PRAE-

PRAEFATIO

Etſi non dubitamus futuros eſſe haud paucos, quorum etiam faſtidium deprecari non audemus, qui hunc totum librum omnino ferendum non eſſe exiſtiment, quod pleraque in eo e genere ſint Satirico, non tamen deſperamus affuturos eſſe alios nonnullos, mitius de eodem pronunciantes. Nam profecto, qui omnino Satiras concoquere neſciant, ſunt e numero eorum, qui ſibi omnium maxime a Satira debeant metuere, et ideo ſuae vtilitatis cauſſa hoc frenum ſtultitiae velint incidere. Sed id ſine dubio verum eſt, Satiram talem, quae non homines ſingulos, ſed omnium vitia et arrogantiam; ignaviam vero ac ſtuporem plerorumque traducat, probatam fuiſſe multis et ſummis viris, imo ad corrigendos homines ſalubriter profuiſſe omni tempore.

Qua-

Quare, ſi quis eo dicendi genere vtatur, non ſtatim debet videri omnem humanitatem et erga alios homines benevolentiam eiuraſſe, ſed inquirendum eſt, quomodo eodem ſit vſus, an ad mores hominum, quantum quidem poſſit, emendandos, an vero ad ſingulos homines riſui exponendos, quod ſine dubio fieri non debet.

Qua cautione ſi quis voluerit, de hoc noſtro libello, noſtroque quo ſcripſerimus animo iudicare, eius iudicium nos libenter recepturos eſſe pollicemur, iis vero, qui de plano pronunciare, et condemnare nos, ſine inquiſitione iuſta et accurata, voluerint, talia ſuffragia parum ponderis apud nos habitura eſſe, praedicimus. Vidimus enim id nobis iam ſubinde accidiſſe, vt cum e tali genere, de quo loquimur, aliquid a nobis editum eſſet, ſtatim adeſſent, qui digito monſtrare, plerosque, ad quos in nonnullis locis nos reſpexiſſe putarent, conarentur. Quo facto nulla culpa noſtra, ſubinde in iram et offenſionem

ple-

plerorumque incidimus, quorum ne quidem memoria, dum talia ſcriberemus, obuerſata nobis erat.

Sed, quemadmodum non repugnamus, in nonnullis olim quorundam ſuſpicionem iuſtam fuiſſe, (talia enim nobis excidiſſe, quae ſcripta nunc quidem maturiori aetate nollemus, ingenue fatemur;) ita tanto certius ſperamus, pleroſque lectores, nullo accuſatorio ſpiritu inflatos, fidem habituros eſſe profeſſioni noſtrae, qua ſanctiſſime affirmamus, id inprimis nos hoc libro attingere voluiſſe, vt virtutis amore omnes, inprimis doctos homines imbueremus, litterarum vero tractandarum rationem talem earum ſtudioſis commendaremus, qualis praeſtantiae excellentiaeque litterarum conueniat. Quare a ſententiis maxime ridiculis, quae quibuſdam propriae eſſent, commemorandis, (quamuis forte in re tali eiuſmodi facultatem nobis ſumere potuiſſemus,) data opera abſtinuimus, ne quibuſdam

ma-

magis contra homines, quam contra illorum ſententias dicere videremur.

Nam, quod ad ipſam hanc ſcribendi rationem attinet, ea nobis innocentiſſima videtur, praeſertim cum tot doctiſſimorum virorum, qui eodem ſcribendi genere vſi ſunt, adſint exempla, vt horum nomina ad conciliandam tali rei auctoritatem ſufficere poſſe videantur. Memorabo tantum Eraſmos, Barthios, Rigaltios, Lipſios, Cunaeos, Barclaios, et Ianuarios, quos ſequi omnes ſine pudore poſſumus.

Ii vero hoc dicendi genere vſi ſunt, ad pleraſque falſas opiniones ex animis hominum exſtirpandas, inprimiſque ad barbariam fugandam. En vero barbariae imminentis calamitas nunc fere rediiſſe videtur, poſtquam plerique omnem bonarum litterarum amorem abiecerunt, atque haec communis fere ſententia eſt; ſcholaſticam arrogantiam omnem litterarum humanitatem habendam, et potius properandum eſſe, vt quam citiſſime, ad artem, etiam parum

cogni-

cognitam, faciendam progrediamur. Iſte vero error fere in eum modum ſolet defendi, quemadmodum nos in iis quas ſubiecimus commentationibus inſtituimus.

Atque, quod ad ſingulas commentationes attinet, eae non ſunt vnius eiusdemque generis, alias enim iam olim editas iterum recenſuimus, alias nouas addidimus. Deinde non ſunt omnes e genere Satirico. Ne enim forte parum cauti iuuenes aut alii lectores poſſent exiſtimare, id ex animi ſententia ſcriptum eſſe, quod in nonnullis contra bonas litteras ſpecioſius diximus, propterea antidoti loco propoſuimus alias nonnullas, in quibus eas commendari videant firmioribus forte argumentis, quam antea accuſatae fuiſſent.

Neque vero quemquam, qui veras litteras amet, facile futurum eſſe exiſtimamus, qui nobis propter hunc librum ſubiraſci poſſit. Nam etſi ad omnes fere litterarum ſpecies Satiram direximus ipſum, id tamen ipſum mirum nemini videbitur, qui cogitet,

tet, quot in omnibus artibus vani homines et nugatores inueniantur.

Propterea, quamuis Theologiae veraeque pietatis amore et reuerentia omnes homines inflammatos eſſe oportet, non veremur, ne noſtra ad Zemiſchium V. C. epiſtola poſſit veris Theologis moleſta eſſe; Ii enim deprehendent eadem monitos eſſe tantum illos, qui Theologorum nomine ſine litteris et doctrina abutantur. Tales vero acerrimo ſale fricandos eſſe, quis neget? cum illorum inſcitia et quae cum ea arctiſſimo vinculo coniunctae ſunt, ſuperbia et temeritas, rem ſacram ipſam in periculum inducere poſſit.

Nullam partem litterarum, ſi a diuinis receſſeris, magis ſalutarem hominibus fuiſſe, quam Philoſophiam, omnes conſentient. Neque futuros arbitror, qui me ab ea communi erga philoſophiam beneuolentia, alienum e huius libri teſtimonio, iudicent. Nam quod noſtro tempore Philoſophiae quam plurima ornamenta ipſorum Philoſopho-

rum

rum culpa detrahi faſſus ſum, id quidem ſine omni ſingulorum Philoſophorum iniuria, in iſta deprecatione pro Philoſophia ad Philoſophos factum eſt.

Sed, quod in ea epiſtola paullo acrius forte philoſophis negligentiam, qua omnem fere Philoſophiae lucem obſcurarunt, exprobrauimus, propterea nemo nos malo aduerſus ipſam philoſophiam animo affectos putet. Nam etſi in nullius vnquam philoſophi verba iurauimus, ſemper tamen hanc artem ea reuerentia proſecuti ſumus, qua, propter ſummam vtilitatem, quam generi humano praeſtat, digna eſt.

Neque vero nos ab vlla tali, ſiue accuſatione, ſiue calumnia, in poſterum defendemus. Gratum nobis erit ſi librum elegantibus hominibus probari intelligamus, a talibus moneri nobis honorificum et fructuoſum videbitur, aliorum clamores et ſuſpiria parum curabimus. Scimus huius generis libros in reprehenſiones plerorumque incidere, qui, etſi monitore maxime indigeant, nolint morum cauſſa moneri.

b Chri-

Chriſtii vitam in epiſtola ad Clariſſimum Paciaudium deſcriptam, et in fronte libri collocatam, grati animi, erga optimum praeceptorem, quo familiariſſimo et beneuolentiſſimo vſus ſum, monumentum extare volui. Id non ſatis ad merita et celebritatem tanti viri accedere, non repugnamus, rogatos tamen cupimus omnes lectores, vt haec, quae ſcripſimus, bene excipere velint. Ad tantam enim tenuitatem, qualem forte multi non immerito in hac, de doctiſſimi viri meritis, oratione arguant, praeter noſtram voluntatem neceſſitatis dura lex nos adegit. Conſtitueram enim vberiorem commentarium de Chriſtii vita edere, eiusque ſpem in Commentariis meis Lipſienſibus Litterariis Tomi II. Sect. III. feceram, ſed, cum per negotia fratri Chriſtio V. C. non liceret ad nos mittere ea, quibus ad vitae Chriſtiae ampliorem et locupletiorem hiſtoriam opus eſſet, ea ſpe excluſi, non quod volebamus, ſed quod poteramus, praeſtare in praeſenti, quam fidem ſemel interpoſitam omnino fallere, maluimus.

Iam vero omnia perorata ſunt, ergo nil ſupereſt, quam vt Tuo nos, Lector fauori commendantes, Te bene valere iubeamus. Vale ſcripſi in Academia Lipſ. Nund. vernal. cIↃ IↃ CCLVIII

PRO-

PROMVLSIS PRIMA
SIVE DE VITA
PHILOLOGI NVPER CELEBERRIMI
IOH. FRIDER. CHRISTII
POESEOS IN ACAD. LIPS. PROFESSORIS

AD VIRVM CLARISS
PAVLLVM M. PACIAVDIVM
CLER. REG. ROMANVM
EPISTOLA



VIRO CLARISSIMO

PAVLLO M. PACIAVDIO

PAST. ARC. SOC. INSC. PARISIENSIS

SODALI

S. D. P.

FRIDERICVS PLATNER

Cum in nouiſſimis Tuis ad me litteris mihi exponeres, Te, Chriſtii noſtri celeberrimi et doctiſſimi viri morte, ſummo dolore affectum eſſe, et vehementi flagrare cupiditate, curatius cognoſcendi

 ea,

ea, quae ad hunc virum pertineant: Ego quidem, propter noſtram neceſſitudinem, Tuaque in me merita, atque eam familiaritatem, quae mihi cum Chriſtio interceſſit, conſtitui, hac epiſtola Tuae voluntati ſatiſfacere. Atque gaudeo profecto mihi dari occaſionem, qua tum, tuae voluntati, tum meae in Chriſtium pietati, ſatiſfacere ſimul poſſim. Nam Tu quidem, Vir Doctiſſime, etſi iam antea multis modis de me meritus eras, nuper quaſi complementum iſtis omnibus ſuperioribus addidiſti, cum Tua auctoritate efficeres, vt tam Paſtores Arcades, quam Piſaurenſis Academia, me in numerum ſuorum cooptarent. Quod vtrumque ſua natura optabile, quoniam a Te tributum eſt, longe optabilius mihi videri, certiſſime Tibi perſuadeas. Quemadmodum vero illis, a quibus mihi hic honos habitus eſt, me obſtrictum profiteor, ita omni opera elaborabo, vt Tu quoque, hoc Tuae amicitiae teſtimonium

nium

nium non ad ingratum perueniſſe poſſis intelligere. Iſtius vero obligationis ſoluendae principium hac ipſa epiſtola faciam, cuius argumentum mihi gratiſſimum futurum eſt, quoniam in Chriſtii rebus et meritis verſabitur enarrandis. Etſi enim ea recordatio viri mihi beneuolentiſſimi cum acerbitate quadam et deſiderio ſummo coniuncta eſt, moleſta tamen eſſe non poteſt, quoniam ſtudioſa recordatione id conſequi poſſumus, vt ii, quos morte nobis ablatos doleamus, reuiuiſcere quaſi et nobis reddi eadem videantur. Quare, Vir Doctiſſime, ſpero hanc epiſtolam, ſi etiam nulla alia re Tibi probari poſſit, propterea tamen Tibi gratiſſimam futuram eſſe, quod Te poſſit in familiaritatem Chriſtii, id eſt ſummi et celeberrimi Philologi, deducere.

In media parte Germaniae, quae, in memoriam Francorum potentiſſimi olim in Germania populi, Franconia dicitur, vrbs principum habitatione noſtro tempore celebrata, Coburgum floret: ibi

anno huius ſeculi primo, Chriſtius noſter natus eſt. Contigerant vero ei parentes honeſtiſſimi, Pater enim Iohannes Sebaſtianus Conſiliarii nomine domui Saxonicae Erneſtinae inſeruiebat, atque Gymnaſio Coburgenſi Praefectus erat, et ſingulari laude abſtinentiae, fidei et litterarum vtebatur. Mater erat e generoſa gente Drechſelia. Ab his parentibus noſter ſumma cura educatus eſt, et, pater inprimis in quo litterae multae et variae erant, filium, cui liberaliſſimum ingenium a natura contigerat, vehementi earumdem amore inflammavit, atque mature ad linguas, tam veteres, quam hodiernas, deinde ad Hiſtoriam, Philoſophiam et bene ſcribendi dicendique artem perduci, curavit. Enimuero, quoniam noſtri pater cum optimis et honoratiſſimis viris in ea vrbe familiariſſime viuebat, Fridericum quoque ſuum mature ad hominum ſocietatem, ac hominum vrbanitatem informauit. Quo beneficio noſter deinceps

per omnem vitam principum et potentium virorum gratiam nactus eſt, atque conſeruauit. Morum enim et litterarum commendationem in paucis, praeſertim Philologiae ſtudioſis, videas coniunctam. Plerique conſcientia doctrinae turgent, ceteroſque homines alienos ab ea parte doctrinae fungos putant, cum quibus viuere familiariter ſine detrimento auctoritatis ſuae nequeant: Chriſtius contra, quod politus eodem modo ac doctus erat, poterat verſari ſine pudore in aula, poterat cum doctis hominibus otiari, aduenas omnes et hoſpites cuiuſcunque ordinis eſſent ſua humanitate delectare. Eaque omnia patritae inſtitutioni debebat, a qua domeſtica diſciplina quoque veſtitus munditiem et elegantiam acceperat, qua multos tales non indoctos ceteroqui homines ſuperabat. Non enim circulatoria profuſio et oſtentatio, ſed grauis viri liberalis cura in veſtitu noſtri eminebat. Ergo vero ais: et haec laus ſit, e veſtitu quaeſita? Non debe-

ret ſane; niſi ſordes et ſqualor plerorumque doctrinae tantopere adhaererent.

Ante, quam domo abiret, noſter aliam plane litterarum rationem iniit, quam quidem antea tenuerat. Pro more multorum iſtius et noſtri quoque temporis, ludicra fere tantum litterarum, vſque ad aetatis decimum octauum annum, attigerat, tempusque conſumſerat in iis rebus, e quibus tenuem vtilitatem poſſet ſperare. Scripſerat Comoedias, verſiculos populares, et ſimilia. Iiſque rebus, vt memini me ſaepius ex eo audire, mirifice adhuc eo tempore delectabatur, quo aliquando in villa quadam equitis cuiuſdam in vicinia Coburgi, cum aliquot doctis et litteratis viris, quibus ingenium iuuenis probabatur, ſuper ea re colloquebatur. Illi vero, exquirendo quaedam ad latinitatem et antiquitates pertinentia, noſtrum his rebus non ſatis magnam operam dediſſe, intelligentes, exorſi ſunt iuuenem hortari, deinde etiam per colloquia

pro-

propter hanc negligentiam traducere. Tali modo ad maius bonarum litterarum ſtudium negligentiamque ſuperioris viae excitatus eſt Chriſtius, eoque nomine iſtis, quibus hanc immutationem debebat, gratiam per omnem vitam ampliſſimam habuit, nullamque facile occaſionem praeterire paſſus eſt, qua publice quoque gratulari iis, et recordari beneficii poſſet. Ab iſto tempore ſummo antiquitatis ſtudio exarſit, vt deinde per omnem vitam, e nullo, quam ex eodem, maiorem voluptatem perciperet.

Eo animo ad Academiam Ienenſem contendit. In ea vrbe florebat eo tempore laude litteraturae orientis praeſertim, fidei praeterea ac humanitatis ſingularis Ioh. Andreas Danzius, qui in hoſpitium et conuictum noſtrum, a patre, cuius amicus erat commendatum, libenter ſuſcepit, ac auctoritate ſua ſaepius iuuit: Ienae itaque Philoſophiae et Iuriſprudentiae initia didicit, et in Philoſophia

loſophia quidem Syrbium, in Iuriſprudentia vero Struuium doctores habuit.

Peracto his exercitationibus triennio, domum a patre vocatur; Huius reditus occaſionem dedere fautores quidam noſtri, moribus adoleſcentis e clariſſima gente eum praeficere volentes. Tum hoc agitur, noſter ſubinde a patre rebus publicis admotus eſt, ſcripſitque per occaſionem litis cuiuſdam, Analecta de Sportula clientelari, *doctis viris admodum probata; Cum vero Primarius Ducis Saxo Meinungenſis Miniſter et Sanctioris Senatus Praeſes, liber dominus a Vuolzogen, filium ſuum vellet ad Academiam ablegare, noſtrum quidem ei ſocium adiunxit, moribusque adoleſcentis regundis praefecit.*

Rediit igitur noſter cum nobili ſocio ſuo in Danziam domum, ac cum eo per biennium Ienae ſubſtitit, poſt illa, fidei ſuae atque diſciplinae commiſſum iuuenem, domum reduxit. Hoc modo aulae Meinungenſis primoribus innotuit, at

que

que ſubinde, iis praeſentibus, in domo Vuolzogia de litteris et moribus diſſerendi occaſionem nactus eſt. Quoniam enim in eam domum ſaepius principes aulae et potentiores confluebant, atque poſſeſſor domus litteris et bonis artibus deditiſſimus erat, noſter aliquoties, iſtis horis, quae ludo et comeſſationibus alias deſtinatae habentur, vtilia quaedam de litteris et moribus regundis proponere, iuſſus eſt. Quo conſilio ſuper Moulini *librum quem de animi tranquillitate* (du' Moulin Paix de l'ame) *inſcripſit, et Perilluſtris Vuolzogius mirifice amabat, aliquot recitationes habuit. Quoniam vero iſtis recitationibus non ſolum aulici plerique, ſed hoſpites quoque et aduentantes non raro e vicinia proceres intereſſe ſolebant, accidit, vt vnus e patris Chriſtii amicis in vicina principali aula ſanctioris Conſiſtorii, Comes, vir probus et litteratus noſtrum diſſerentem audiret. Quoniam vero noſter ſe oratione ſua iſti viro proba-*

ba-

bauerat, ille ratus eſt; noſtrum ad academici doctoris munus deſtinatum videri, naturamque ipſam ad hoc vocare, cum omnia, quibus ornari talis prouincia debeat litteras, ingenium, mores, flumen orationis, probitatem denique morumque innocentiam, conceſſerit. Enimuero alii, inter quos ipſe pater Chriſtii erat, noſtrum non minoribus argumentis ad aulicam vitam cupiebant adigere, eorumque cohortatio tanto ſpecioſior erat, quanto certius ea, tum fauori Chriſtii patris atque ipſius noſtri, tum nupero quodam praeiudicio, quod noſter iam expertus erat, innixa videbatur. Nam poſtquam nobilem ſuum adoleſcentem doctrinae et continentiae laude florentiſſimum, domum reduxerat, ei conſiliarii in Curia principali, noſtro vero Protonotarii munus in ſanctiori Conſilio Principis oblatum eſt. Deinceps poterat profecto noſtrum in aula ſpes alere paternorum aliquando capiundorum munerum:

idque

idque ipſum pater noſtri percupere videbatur.

His tamen omnibus non ſiuit ſe a vitae Academicae ſuauitate auocari, oblatamque a Patrono ſuo conditionem, vt filios quoque duos reliquos iuniores in Academiam quandam deduceret, lubentiſſime ſuſcepit. Eo conſilio Halam, quae eo tempore fama et celebritate Thomaſii, Gundlingii Ludouici et Boehmeri patris illuſtrabatur, profectus eſt. Iis vero doctiſſimis viris omnibus, inprimis Thomaſio et Gundlingio, noſter familiariſſime in ea vrbe et deinceps ſemper vſus eſt. Cognitae viri doctrinae, quamuis honores Academicos nondum capeſſierat, praelectionum habendarum facultas ex ordinis Philoſophici decreto facile data eſt: eoque beneficio noſter cum ſummo fauore iuuentutis ita vſus eſt, vt ei interdum ſex et plures horas per diem tribueret. Etenim iam antea nonnulla publicauerat Chriſtius, quorum catalogum ſubiecimus, eo tamen

men tempore Noctibus Academicis, *quarum quatuor edidit ſpecimina, inprimis inclaruit. Ex iſto ſolo libro, ſi alia quoque teſtimonia deficerent, doctrinae, quae in Chriſtio iam ea aetate erat, varietas intelligi poſſet. Sunt enim iſtae obſeruationes miſcellae, quibus Gellii exemplo noctium nomen dedit, fructibus diuturnae et adſiduae lectionis refertae, quibus, quonta ſimul capere Chriſtii ingenium potuerit, clariſſime apparet. Dolendum eſt hunc librum raro emere volentibus obuium, ab Auctore ipſo luci redditum non fuiſſe. Auxerat enim multis in rebus, deinde vt fere in omnibus ſolebat ſuis Chriſtius, in eo exemplo, quo ipſe vtebatur, emendauerat et correxerat multa in non paucis locis, in quibus poſteriori tempore a ſuperiori opinione receſſerat.*

Hala non raro Lipſiam profectus eſt, vel pecuniae recipiendae gratia, vel propter alias neceſſitates, ſic aliquando contigit, vt tale iter Principis ſui iuſſu,

ad

ad impetrandum quoddam facultatis iuridicae reſponſum ſuſciperet, per eamque occaſionem Primario quondam in hac vrbe Iurisconſulto ac Iuridici Ordinis Praeſidi, Michaeli Henrico Griebnero, innoteſceret. Griebnero vero, qui et ipſe optimarum litterarum copia abundabat, et bene cupiebat omnibus, quos amare eas ſciret, facile ſe Chriſtius probare potuit, quod ei libris praeſertim Noctibus ſuis iam ante commendatiſſimus erat. Huius, doctiſſimi et humaniſſimi viri, Gribneri, iudicio factum eſt, vt Chriſtius adoleſcenti ex antiquiſſima et nobiliſſima Bunauiorum familia praeficeretur. Erat is Rudolphus, Cancellerarii Curiae Regio Electoralis filius ſecundus, frater Henrici Comitis, qui commentariis de Germaniae Hiſtoria, ac Bibliothecae copioſiſſimae et elegantiſſimae poſſeſſione, inter doctos homines meritam admirationem, auctoritatem et celebritatem nactus eſt. Huius Rudolphi, nunc, cum fratre

Comitis Imperii ornamentis aucti, Dominoque noſtro ſanctioris admiſſionis conſiliarii, curam anno huius ſeculi vigeſimo octauo, quo Vuolzogii fratres, finito litterario in Academia decurſu, Halam abire vellent, capeſſiuit. Vnum vero e Vuolzogiis cum ſummo Chriſtii dolore, mors Halae coegit requieſcere.

Ante quam noſter Lipſiam, cum Bunauio ſuo pertenderet, ei Ordo Philoſophorum Lipſienſis ſummos artium honores decreuit. Quamuis vero, propter viri famam, abſenti quoque iſtos honores deferre voluiſſent, id tamen per leges, niſi, qui capere tales honores vellent antea nomen ſuum inter Academiae ciues profeſſus eſſet, non licuit. Haec cauſa amicitiae fuit inter patrem meum Iohannem Zachariam et Chriſtium noſtrum. Nam iſto anno pater meus Rectoratus Academici magiſtratu fungebatur. Chriſtius itaque, per occaſionem nominis in album rectoris referendi, eum adiit, eoque tempore funda-

menta

menta eius amicitiae et familiaritatis iecit, quam uterque poſtea ſanctiſſime ſeruarunt, Chriſtius vero, mortuo ante decennium patre meo, mihi quaſi hereditatis iure delatam, libenter conceſſit.

Anno itaque vigeſimo octauo Lipſiam Chriſtius cum Bunauio venit, ibique coepit, et ſtudia regere alumni ſui, et aliis quoque iuuenibus inſtitutione ſua inſeruire. Eo modo euenit, ut Profeſſor Hiſtoriarum extra ordinem appellaretur, eique Regio beneficio annuum honorarium deſignaretur. Sic, poſt quadriennium Lipſiae cum Bunauio ſuo exactum, impetrata a Rege facultate, peregrinationem inſtituere coepit.

Primum in plerisque aulis et nobilibus Germaniae urbibus ſubſiſtere, deinde ad Batauos, et ad portum Caletanum progreſſi ſunt, vnde in Britanniam traiecerunt. In ea inſula per aeſtatem plerumque Londino ita ſubſtiterunt, ut ſubinde ad Oxonienſem et Cantabrigienſem Academiam diuerterent.

Cogitauerant etiam de inſtituendo in Galloſranciam itinere, ſed flagrans eo tempore bellum permouit, vt cum legatione regis Poloniae ex Anglia ad Batauos redirent. Quo facto, Hagae Comitum aliquamdiu commorati ſunt, et deinceps per Vueſtphalos et terras Brunouicenſes in patriam ſe receperunt.

Poſtquam in villa Bauaria, Saſellcis nomine etiam per noſtri carmen celebrata, aliquot dies ſe ab itineris moleſtia, cum ſocio ſuo refecerat Chriſtius, vlterius Pragam et inde Vindobonam vterque abiit, ibi per hyemen et veris principium, ſere ſemper verſati ſunt, niſi, quod aliquando in Morauiam diſceſſerunt. Vindobonae noſter inprimis Bibliotheca et Numophylacio Caeſaris vſus eſt. Poſt illa ad Venetos, vbi die aſcenſionis Dominicae nuptias ducis eius reipublicae cum Adriatico mari viderunt, deinde Veronam Paduamque progreſſi ſunt. Quo minus vero vlterius protendere, inprimiſque Romam, quod

per

per quam optabile Chriſtio fuiſſet, adire poſſent eadem belli calamitas, quae eos a viſenda Gallofrancia diſtinuerat, impediebat. Redire igitur in Patriam coacti ſunt. In quo reditu, per Tirolenſem ditionem Monacum delati, ex ea vrbe Auguſtam Vindelicorum et inde Ratiſbonam, profecti ſunt. Ratiſbonae per aliquot menſes commorati ſunt, eſt enim ea vrbs Comitiorum perpetuorum imperii nomine tali mora digniſſima. Igitur Chriſtius noſter et comes eius operam dederunt, vt praecipua quae ad imperii comitia pertinent, praeſentes cognoſcerent. Vnde factum eſt, vt demum ſub aeſtatis hoc ſaeculo triceſimae quartae finem, Ratiſbonam relinquerent, et per Franconiam et Bohemiam in Saxoniam ſub finem eiuſdem anni redirent.

Lipſiam mox Chriſtius contendit, ibique litterarias ſcholas aperuit. Quibus meritis effecit, vt anno quadrageſimo Poeſeos Profeſſor Ordinarius appellaretur, ex ea

tempore aliquoties ſummo magiſtratu Academico et Decanatu Ordinis Philoſophici functus eſt. Anno quinquageſimo ſecundo exeunte, is morbus, quo tandem confectus eſt, Chriſtium primum petiit. Erat Chriſtio corpus ſiccum et vt videbatur firmum. Sed cum nimium in muſeo deſideret, iſto tempore coepit tam difficulter frigus hibernum perferre, vt quoties illud experiretur, ventriculi morbo, cum vomitu, atque faſtidio coniuncto, laborare inciperet. Is morbus, cum nullo modo nec Celeberrimi Ludwigii noſtri, Primarii nunc noſtrae vrbis Medici experientia pelli poſſet, in Cachexiam tandem et febrem lentam defecit, noſtrumque exſiccatum et viribus deſtitutum, praeterea Boruſſorum in hanc vrbem aduentu conturbatum, in ipſo magiſtratu academico a. d. III Auguſti a. h. ſ. LVI extinxit. Vixerat annos ſupra quinquageſimum ſex. Exuuiae in templo Paullino Academiae noſtrae compoſitae, quieſcunt.

Haec

Haec ſunt, Vir Clariſſime, quae ad vitam Chriſtii pertinent; ſed quoniam mihi per Te puto licere, nonnulla, quae ad genus litterarum, quod ille inprimis amplexus eſt, ad docendi rationem, ad libros denique ceteraque ſimilia pertinent, addere conſtitui.

Chriſtii doctrina ampliſſima erat, non ſolum enim ſtudioſiſſime attigerat omnia, quae cum antiquitate aliquo modo coniuncta ſunt, ſed etiam nuperos inprimis Hiſtoricos et Poetas legerat pleroſque: Linguam Graecam bene quidem intelligebat, ſed maiori ſtudio ſe ad Latinam contulerat, cuius omnes ſcriptores, qui ad Claſſicos auctores ſolent referri, per legerat, et inter eos pleroſque ter aut ſaepius. Praecipue adamabat Plautum, Tacitum et Gellium. Plautum edere conſtituerat, quo conſilio, tum codices quoſdam manuſcriptos cum editis exemplis comparaverat, tum ipſe vnum alterumque talem et antiquiores melioreſque editiones poſſidebat. Plau-

tum putabat, quanto antiquior ſit, tanto plus adiumenti ad intelligendam verborum proprietatem conferre. Habuit, aliquando Plautinas lectiones, antequam ego quidem ad Academicos doctores audiendos acceſſi, maxime frequentatas in primis ea de cauſſa nomine, quod iis notationem verborum optime declararet. Gellium non tam ſtyli cauſa, quam propter varietatem ſummam diligebat. Mihi quidem poſtquam inter Academicos ciues nomen profeſſus eram, Gellii lectionem prae ceteris commendauit, quod in eo pleraque ad ritus Romanos et omnem antiquitatem pertinentia expoſita diceret, quae in ceteris ſcriptoribus, vel plane neglecta, vel minus accurate declarata eſſent, quod, mea vtilitate verum eſſe intellexi. Taciti lectione multum delectabatur, et memini me ex eo audire, cum diceret, ſibi ſolenne eſſe, Tacitum ſingulis annis ſemel, interdum ſaepius perlegere. Hinc Lipſio etiam multum

tri-

tribuebat; quod is fere eadem cura Tacitum proſecutus erat. In poetis Iuuenalem et Perſium lectitabat, Horatium fere memoria tenebat.

Sed ceteros quoque poetas, qui in quadam pretio habentur, curioſe legerat, Iuuenali vero, maxime ob ſententiarum grauitatem et frequentiam delectabatur, et in genere Satirico Horatio praeferebat, quam ſententiam me quoque recipere non diffiteor.

In ſcriptoribus, qui poſt litteras reſtitutas vixerunt, multum inprimis tribuere ſolebat Thuano, quem quinquies legiſſe mihi aſſeruit, deinde Melanthoni, Ioachimo Camerario, quem ſupra memoraui, Lipſio, et Scaligero vtrique, inprimis filio; Burmani patris carmina quoque ipſi vehementer probabantur inprimis iſtud in Arcadiam iter.

In litteris, quibus plurimum temporis tribuit, fuit, Hiſtoria tum vetus, tum noua poſt litterarum reditum. Nam illam, quae vulgo media dicitur,

etſi non penitus neglexerat, non tamen magnae exiſtimabat vtilitatis eſſe poſſe, tum, quod ea ſua natura barbara ſit, et facta iſtius temporis magis obliuioni committenda, quam memoriae tenacitate conſeruanda eſſe videantur, tum, quod eius aetatis Hiſtorici plerumque fabulas magis, quam facta vera narrent, et tam barbare et male ſcripti ſint, vt neque ad animi emendationem, neque ad voluptatem aliquid conferre valeant.

In praelectionibus ſuis ſolebat auctores veteres, inprimis poetas, vt nouiſſimo tempore, ex Ouidio hiſtoriam fabularem, antiquitates Nieuporti, Rem litterariam, interdum etiam Grotii Ius belli et pacis et Hiſtoriam tam ciuilem quam rei pictoriae, numariae, et ſcalpturae interpretari et enarrare. In explicandis auctoribus fere nimis copioſus erat, et plura, quam temporis ratio permitteret, ſolebat de moribus praecepta ad iuuenes proponere: Quae conſuetudo hoc incommodi afferebat, vt raro et

non

non niſi per plures annos poſſet talis auctoris explicationem ad finem perducere. Deinde in ſingulis verbis nimis haerebat, et omnia ex eruditionis ſuae copia expromebat, quaecunque ipſi memoria, qua beatiſſima vtebatur, ſuppeteret. Ac propterea quidem fatendum eſt, eius praelectiones vberrimum fructum attuliſſe omnibus, qui accuratiorem alicuius ſcriptoris interpretationem deſiderarent, ſed multis, qui in vno ſcriptore tantopere haerere nollent, iſtam rationem non probatam eſſe.

In antiquitatibus et Re litteraria explicandis, plane diuerſa ratione vtebatur. Solebat enim vtrumque deſtinatis ad id horis ſingulis ſex menſibus perorare. Praeſertim iſtae praelectiones ſuper re litteraria fructuoſiſſimae erant. Complectebatur enim eo nomine notitiam quamdam litteraturae veteris, artium liberalium, gemmarum ſcalptarum, numorum, ſignorum e marmore, aere, cera, vel alia materia

ria factorum, titulorum in marmoribus, ſcripturae et rei librariae veteris, codicum, artium deperditarum, diplomatum denique, et ſimilium rerum. Hae praelectiones vtiliſſimae erant, et maxime frequentatae ab omnibus liberalioribus et nobilioribus, qui in Academia viuerent, artium ſtudioſis. Huius inſtitutionis quaſi fundum quemdam volebat in libro collocare, qui ſane optabilis pleriſque futurus fuiſſet, niſi hos fructus Chriſtiae eruditionis cum innumeris aliis, mors intercepiſſet.

Vehementer res antiquas amabat, putabatque in omnibus fere ſummam eruditionem expreſſam eſſe, adeo quidem vt gemmas ſcalptas et numos ex eo putaret agnoſci et a nouis et ſuppoſititiis diſtingui poſſe, quod in iis omnia melius, quam in his, inuenta, ordinata et expreſſa crederet. Putabat enim eos omnes, qui tales artes apud veteres exercerent, doctiſſimos et ingenioſiſſimos fuiſſe. Non negem vero, pro ſummo

eius harum rerum amore, iis plus interdum tributum a Chriſtio eſſe quam iis forte deberetur, ſed quis iſta tanti viri ceteris meritis non condonet?

Ratio eius docendi ceteroqui ſimplex erat, et ſine vlla eloquentiae, aut ſa-lium et iocorum affectatione. Interdum latine, interdum theotiſce loquebatur, pro vt, vel Latina, vel vernacula lingua res, quas explicare vellet, melius crederet declarari poſſe. Latine ſine omni haeſitatione elegantiſſime loquebatur, vt multi eum loquentem audire, quam ſcribentem legere, mallent. In ſcribendo raro ſibi ipſi ſatiſfaciebat, et quoniam omnes auctores veteres excuſſerat, ſolebat non raro, nulla facta loci mentione, in quo forte ſingularem eiuſmodi verbi ſignificationem offenderat, ad inſolentem ſignificationem vel locum reſpicere. Deinde interdum nimis breuis erat, et verbis Plautinis, Ennianisque vtebatur; praeterea collocatio adiectiuo-

rum

num et participiorum, quae ei fere propria erat, legentes morabatur. Eo modo a multis Chriſtio obſcuritas in ſcribendo exprobrata eſt; quod ipſum quidem plerumque ii fecerunt, qui latinae linguae non ſatis magnam operam dederant; ſed interdum etiam alii, forte carpendi ſtudio. Neque ignorabat Chriſtius ſe obſcurum vulgo a pleriſque haberi, ſed non poterat ſibi perſuadere ſua culpa id accidere. Mecum aliquoties ſuper ea re familiariter collocutus eſt, cum me exquireret; an mihi quoque libri eius obſcuri videantur? Cum vero reſpondiſſem, nunc quidem me id affirmare amplius non poſſe, ſed ſimul nolle diffiteri, id olim aliter fuiſſe. Tunc vero ridens affirmabat; „Hoc meum exemplum culpam eius „minuere, apparere ſcilicet latinitate „adſuetos, legere libros eius poſſe, alios „contra parum latine doctos id minus „poſſe; Si obſcurus eſſet, debere „omnibus pari modo obſcurum eſſe, doctis

„et

„ *et indoctis. At quoniam huius crimi-*
„ *nis tantum tales accuſatores ſint,*
„ *qui forte alios latinos ſcriptores, non*
„ *magis, quam eius libros legere poſ-*
„ *ſint, ideo ſe ab obſcuritatis vitio*
„ *alienum exiſtimare, praeſertim,*
„ *cum loca quaedam e libris ſuis*
„ *per excerptorum occaſionem, in Gallo-*
„ *francicis quibusdam commentariis*
„ *optime tranſlata et ab auctoribus iſto-*
„ *rum intellecta explicataque fuiſſe*
„ *cognouerit.*

Carmina edidit pleraque, tum per varias alias occaſiones, tum per muneris rationem. Inter illa, quod Suſelicii deinde Villatici nomine edidit, nobiliſſimum eſt. Eſt vero Suſelicium pagus gentilitius Illuſtriſſimae gentis Bünauiae, in quo Chriſtius in primis eo tempore, quo Illuſtriſſimi Bünauii ſtudia regebat, ſaepe commoratus eſt. Iſtam villam antiquitate nobiliſſimam, ſitu praeterea iucundiſſimam eo Carmine Chriſtius deſcripſit. In fine vero

in-

inprimis tertiae editionis, qua Villatici nomen iſti carmini praepoſuit, pleriſque excurſibus de antiquitatis quibuſdam argumentis, in primis, de patritae vrbis meae, Lipſiae conditoribus, expoſuit.

Edidit quoque Fabularum Aeſopiarum libros duos. Chriſtius enim fabulas, quae vulgo Phaedro tribui ſolent, non Phaedri, qui tempore Auguſti vixerit, ſed Perotti putabat. Quam opinionem conatus eſt defendere, tum multis aliis rebus, tum inprimis eo argumento, quod a latinitate petitum eſt. Oſtendit enim in hoc libro, qui Phaedri vulgo dicatur, eſſe pleraque barbara et ad ſeculi Auguſtei elegantiam minus comparata.

Per eum librum in ſe concitauit iram eiuſdem Ioh. Nicolai Funccii, in Academia Marpurgenſi eloquentiae Profeſſoris, qui varias linguae Latinae viciſſitudines, ſecundum diuerſas aetates, deſcripſit; Is,

ir, Apologiam pro Phaedro eiuſque fabulis, *aduerſus Proluſionem*, de Phaedro eiuſque fabulis, *quam Chriſtius in Academia noſtra ad diſceptandum propoſuerat, edidit. In ea Apologia Funccius, tum vetuſtatem, tum latinitatem, tum ſententiarum ſubtilitatem, quae omnia minus probabantur Chriſtio, ſtudet in Phaedro, quo vtimur, laudare, et Chriſtii accuſationes diluere. Enimuero cum in ea defenſione, vt fieri ſolet, aliquanto acrius egiſſet Funccius, Chriſtii* de moribus ad eruditos quoſdam ſimul de Phaedro eiuſque fabulis, vberior expoſitio *inſecuta eſt. Hic liber, non addito Funccii nomine, aduerſus vnum Funccium directus, vehemens ille quidem eſt, ſed eleganter tamen ſcriptus, et ad legendum iucundiſſimus, eoque haec controuerſia inter Funccium et Chriſtium noſtrum compoſita eſt. Phaedri vero cauſa alii quoque Chriſtium petierunt, vt ſcriptor nuperus quidam Gallofrancus in praefatione libro Fabularum et Narratio-*

d *num*

num praemiſſa. (*) *Deinde Gottfried Ephraim Müllerus quidam, ſcriptor parum doctus at arrogans. Is auſus eſt, vernacula lingua talem Hiſtoriam Auctorum Claſſicorum edere, qualem inter noſtrates Ioh. Albertus Fabricius latine propoſuit. Sed, vt erat hic Mullerus ab omni lectione veterum ſcriptorum alienus, ita etiam rudis et indigeſta libri moles eſt, quam reperit. Enimuero, quod deerat homini doctrinae nomine, id fiducia ſua ſupplere ſolebat. Hoc modo inter Chriſtium et Funccium iudicium interponere, et contra Chriſtium pronunciare non dubitauit. Sed, vbe iam ſatis eſt de hoc capitali homine, qui nuper ſine omni litterarum incommodo mortuus eſt. Redeamus ergo ad Chriſtium.*

Erat in Chriſtio ſumma quoque artis pictoriae ſcientia, vt et manus artificum

(*) Fables et Contes. à Paris 1754. Diſcours praelimimaire p. 54. ſequ.

cum internoſcere, et de tabularum digni-tate eleganter iudicare poſſet. Huius rei teſtis apud omnem poſteritatem fu-turus eſt liber, de Monogrammatis, ſiue, ſignis, quibus pictores, in operibus ſuis ad nomina ſua exprimenda vſi ſunt. *Is liber lingua vernacula ſcriptus, magno fauore exceptus et Galloſrancice Pariſiis iterum editus eſt. Auxerat exemplum proprium Chriſtius aliquot ſignorum Centuriis, ad vtilitatem nouae aliquando editionis deſtinatis.*

Praecipuo quoque ſtudio, Chriſtius picturam linearem et ſcalpturam in aere exercuerat, et Noctibus Aca-demicis quatuor tabulae ab eo ſcalptas adiectae ſunt. Hiſtoriam rei pictoriae edere, in eaque artificum celebriorum ſucceſſionem, et diſcipulorum quoque prouentum, declarare conſtituerat.

Quod ad vernaculam linguam noſtram attinet, hodierna ratio ſcribendi plane

Chriſtio non probabatur. Corrumpi linguam Theotiſcam hac aetate plerorumque ſtudiis, qui eam emendare vellent, dicebat. In ſummo flore linguam noſtram ſeculo decimo ſexto fuiſſe putabat. Cuius rei teſtem Bibliorum eo tempore interpretationem haberi volebat. Ipſe, cum ſcriberet, eius aetatis ſcriptores imitari et verba iſto ſeculo ſolemnia adhibere ſolebat, vti e Monogrammatum deſcriptione intelligitur. Poeſin linguae noſtrae non facile accommodari poſſe, opera vero poetarum et oratorum popularium ad poſteritatem, propter eam viciſſitudinem, qua noſtra lingua ferè ſemper iactata ſit, peruenire nunquam poſſe, credebat. Ad quam opinionem nimio latinitatis ſtudio et amore, et praeterea ſcriptorum quorundam arrogantia, qui ſe poetas et oratores ſine omni merito ſuo dicerent, delatus eſt.

Librorum cognitione ampliſſima vtebatur, eaque accurata. Non contentus erat, ſi titulum alicuius libri vel editio-

rum numerum, et auctoris forte nomen teneret, ſed magnam librorum multitudinem e diuerſo litterarum genere totam excuſſerat. Hinc quoniam inprimis tenaciſſima memoria vtebatur, mirum non erat, quod fere de omnibus rebus diſputandi et quaſi docendi poteſtatem haberet. Hinc, profiteor familiariter colloquendi cum eo facultatem, eodem modo quam, praelectiones eius fructuoſam mihi fuiſſe. Nam, quod mihi beneuolentiſſimus erat, ſolebat ei gratiſſimum eſſe, ſi omnes quaſi eruditionis ſuae loculos mihi aperire, et aliquid in meam vtilitatem conferre, poſſet. Miratus ſum ſaepius amplitudinem doctrinae, quoties eum in tanta diuerſitate rerum, tam eleganter et docte differentem audiui, Philoſophus enim Hiſtoricus, Criticus et antiquarius praeſtantiſſimus erat. Iuuandi ſtudio, inprimis erga iuuenes ingenioſos ſummo ferebatur. His quantum poſſet temporis (quod ei tamen propter lectionis conſtan-

 tiam

tiam et epiſtolarum frequentiam, cariſſimum erat) ſolebat tribuere, idque ſine omni lucri ſpe.

Lubens quoque ſymbolam conferebat ad Acta eruditorum, quae in hac vrbe eduntur, et ad Commentarios meos Lipſienſes litterarios. In vtroque libro pleraque eius exſtant excerpta. In iis ſolebat ex animi ſententia pronunciare, neque in tali de libro quodam iudicio, ſcriptoris fama et celebritate, aut oſtentatione ad laudem compellebatur, quae conſuetudo, quamuis laudabilis raro probabatur iis, quorum eo modo indicaſſet errores. Sic per iſtud excerptum, quod ſub initium Anni quinquagoſimi ſexti Actis eruditorum inſertum eſt, grauem ſibi tempeſtatem contraxit. Retulerat in eo loco de Numophylacio Vindobonenſi, quod Clariſſimus Froelichius publicare commentario illuſtratum nuper coepit. Quiſquis illud excerptum legerit videat, laudabilem tum ſcriptoris, tum ipſius inſtituti,

men-

mentionem factum eſſe. Sed quoniam in nonnullis aliter ſenſerat, aut non tantum in laudem libri dixerat, quantum alii de eo dici cuperent, hinc in Chriſtium iam iſto tempore fatis functum, ingens imber, ab Anonymi cuiuſdam arrogantia, detumuit. Is enim homo vehemens et naſutus multa bile et ira aduerſus excerpti auctorem grauem dicam calumniis et plebeiis dicteriis plenam ſcripſit. Non profecto dignus eſt talis ſcriptor reſponſione. Forte, ſi ſapit, detumeſcente ira, eum tantae arrogantiae poenitebit, qua talem virum, quem vt primarium in hoc litterarum genere iudicem comiter reuereri et obſeruare debuiſſet, petere auſus eſt.

Collegerat Chriſtius pleraque litterarum inſtrumenta vt librorum, numorum, gemmarum ſcalptarum, tabularum tam pictarum, quam aere ſcalpto redditarum, vaſorum et ſupellectilis antiquae. Earum rerum omnium in

 prae-

praelectionibus copiam faciebat, et nunc catalogi exſtant, poſt quam auctionis lege venditae ſunt.

Ceterum Chriſtii familiaritatem, propter honeſtiſſimos et iucundiſſimos mores, plerique appetebant. Atque hoſpites illuſtrioris ordinis in hanc vrbem non raro aduentantes, praecipue eum, inprimis etiam propter linguae Gallicae et Hetruſcae facultatem, adamabant. Matrimonio ſe nunquam iunxit: de religione magnifice ſentiebat. In amicitia ſeruanda conſtantiſſimus, aduerſus eos vero, quos non ſatis bene ſibi velle crederet, iuſto aliquanto ſuſpicioſior erat. Singulari grauitate docebat et diſſerebat, nil reconditi habebat, quod non lubenter vellet cum artium ſtudioſis communicare.

Ex his itaque puto Te Vir Clariſſime intelligere poſſe, qualis Chriſtius, et quantus vir fuerit, quem nunc e rebus humanis ſublatum eſſe litterarum cauſa dolemus. Simile damnum iis morte

Go-

Gorii, cuius oſſa molliter cubent, illatum eſt. Perrennabit eorum profecto memoria, et ſeris poſteris vtriuſque nomen venerandum videbitur.

Ego vero Vir Clariſſime, Te maximopere cupio rogatum, velis mihi in poſterum eodem modo fauere, quo id huc vſque a Te factum eſſe, laetor. Sic vale et me Tibi deditiſſimum ama! Iterumque Vale ſcripſi in Academia Lipſienſi d. XIII Iunii cIↄIↄCCLVIII

IOH. FRIDER. CHRISTII

a) *Libri*

Ruhe des iztlebenden Europae, Coburg 1726. vier Theile, in 4.

Noctes Academicae, obſeruationibus litterariis ad rem litterariam miſcellis et coniecturis expoſitae. Specimen I. Halae 1727. 8

Noctium Academicarum Spec. II

Noctium Acad. Spec. III

Origines Langobardicae, e veteri MS. Cod. editae, et obſeruationibus illuſtratae, Halae 1728. 4

Noct. Acad. Spec. IIII. Halae 1729

De Nicolao Machiauello Libri III. Lipſ. et Halae 1731. 4

Suſelicium, Lipſ. 1732. 8

Variorum Carminum ſilua, Lipſiae 1733

Variantes lectiones ad librum Th. Kempis de imitatione Chriſti.

Villaticum, Suſelicii nomine antea editum, nunc nouum.

Memoriae Parentis.

Di-

Diuarum epiſtolae.

Pro patrimonio poetarum. Oratt. III. Accedunt nonnulli excurſus, 1745. 8.

Otii regalis acroamata. Oratt. III. Accedunt excurſus nonnulli 1745. 8

Villaticum libris III. Accedunt excurſus etc. 1746. 8

Anzeige und Auslegung der Monogrammatum, 1746. 8.

Ad eruditos quoſdam de moribus, ſimul de Phaedro eiuſque fabulis vberior expoſitio. Acceſſit auctuarium fabularum quarundam Phaedri nec Phaedri, 1747. 8

Fabularum Aeſopiarum ſpecimen, 1748. 4

Fabularum Veterum Aeſopiarum Libri II. 1749. 8

Dactyliothecae Lipperti Milliare I. 4. 1755

Dactyliothecae Lipperti Milliare II. 4. 1756

b) *Schediaſmata Diſputationes et Programmata.*

Commentatio de conſenſu artium, Halae 1726. 4

Eine

Eine kurze Anzeige der vorhabenden Beſchreibung der Hiſtorie der Mahlerey neuerer Zeiten, Iena 1724

De Ioh. Suarzenbergio commentatio, Halae 1726. 4

Analecta de Sportula clientelari, Halae 1726. 4

Hiſtoria legis Scatiniae, Hal. 1727. 4

Commentatio de Vlrico Hutteno, Halae 1727. 4

Ad diſquiſitionem de Nicolao Machiavello praeparatio 1729

Allerhand Stücke zur Lebensbeſchreibung des ſel. Hofrath Chriſts, Leipz. 1750. fol.

De rebus Longobardicis commentarius, Lipſ. 1730. 4

De περιαυτολογίᾳ hiſtoriae ſcriptorum, 1731

Derelicta litterarum in ſpatiis, 1735

Imagines Muſarum in ſimulacris antiquis, 1739

De Murrhinis veterum diſquiſitio, 1743

De moribus adoleſcentiae, 1745

Aquilae iuuentas, 1746

De

De Phaedro eiuſque fabulis proluſio, 1746
De cura famae bono viro digna, 1746
De quibuſdam Epicteti in Enchiridio locis, 1746
De ſtudiis litterarum academica ratione moderandis, 1749
Magiſteria veterum in poculis.
De poetica recte intelligenda, 1753
De poetarum imaginibus, 1754
Carmina Saturnia etc. 1755
Praeterea ad Clariſſimum Saxium, nunc in Academia Traiectina Profeſſorem, cum Vindicias Virgilii ſub Chriſtii moderamine defenderet, epiſtolam ſcripſit diſſertationi Saxiae iunctam.

c) *Panegyrici ſiue Carmina in Magiſtrorum Philoſophiae renunciatione edita.*

Eleutheria, 1741
Chariſia, 1742
Anticentaurea modeſtiae ſacra, 1743
Alcedonia litterarum, 1744
Hippocratica inſtituta, 1745
Mores antiqui, 1746.
Gradus Ordinum, 1747

Ala-

Alabaſtron philoſophia ſine litteris, 1748.
Studiorum conſtantia, 1750
Scriptionis labor, 1751
Scriptionis bona et ratio, 1752
In calamo loquaces, 1753
Corrigenda rerum inanium ſtudia, 1754
Vrbis Lipſiae bona, 1755
Rurſus vrbis Lipſiae bona, 1756

Praeterea in Drackenborgchii editione Liuianae Hiſtoriae ad X libros priores Chriſtii Annotationes accedunt.



PROMVLSIS ALTERA
GARRVLITAS SATIRICA
CAVSA ODII IN SATIRAM

Saepe miratus ſum, qui fiat, vt homines non inſulſi ad tantum Satirae odium perduci, eoque ita inflammari queant, vt omnes Satirarum ſcriptores tanquam rei publicae hoſtes proſcribendos exiſtiment. Nam Satirae quidem verae vſum a veteribus traditum, optimis quoque viris, omni tempore probatum eſſe deprehendes. Nuper quoque poſt reſtitutas litteras, vidimus pleroſque in Satirico genere elaborare, qui tum litterarum, tum optimi et humaniſſimi animi laude florerent; quales ſcilicet tale genus ſcripturae nunquam attigiſſent; ſi ſua natura malum et contemnendum eſſet. Sed poſtquam in cauſas huius immeriti aduerſus Satiram plerorumque odii diligentius inquiſiui, eius oſores non ſatis Satirae naturam perſpicere, et ad eam

talia redigere intellexi, quae huc omnino referenda non eſſent.

Satiram vero et Comoediam, eodem modo innocentem, eodemque conſilio inuentam eſſe, ſemper exiſtimaui. Cum enim nonnulli, in corrigendis moribus hominum elaborare cupientes, pleroſque homines omnem ſeueriorem de moribus diſputationem faſtidire, contra impotenti riſus cupiditate flagrare, cognouiſſent, medicorum pillulas male olentes auro et argento obducentium, exempla imitati, ſua de moribus praecepta ita ſtuduerunt, actionis et narrationum, taliumque rerum aromatis, condire; vt iſtorum delicatulorum hominum ſtomachus ea poſſet concoquere. Eo pacto exagitanda pleraque hominum vitia mimis committentes, ſpectatorum aures, additis e morum doctrina ſententiis ad vitam vtilibus, conati ſunt ſubinde vellicare, vt ridendo alios diſcerent ſibi cauere, ne aliis viciſſim ridiculi viderentur.

At,

At, cum Comoedia utilitatem ad homines habitura, multa alia, praeter ſcriptoris ingenium, requirat, facilior et breuior via Satirae eſt inuenta. (*)

Nobis vero duo in primis genera Satirae eſſe videntur, altera mitior, quam non dubitarem Ironiam appellare, quae defendendo vitia hominum et eadem excuſando, ſale quodam ſalutari lectorum animos perfricet, iiſque vanitatem talis defenſionis argumentorum, quibus ad eam nonnulli vtantur, tenuitate repetita, patefaciat; altera acrior, quae ita non quidem hominibus ſingulis, ſed toti generi humano vitia, inprimis eo tempore celebrata, exprobret, et acerbitate ſua pudore ſuffundet omnes tali animi morbo laborantes. Vtrumque adhibitum non ſine vtilitate fuit, hoc vrere, illud fricare homines videtur.

 Ne-

(*) *Comoediam quidem e Satira natam ſcimus, at Menippaea iſta Satira poſt Comoediam ſine dubio inuenta eſt.*

Neque vero multos fuiſſe arbitrer, qui Satirae vtriuſque fructum vellent negare, cum manifeſtum ſit, homines liberales et honeſtatis ſtudioſos, nullius periculi metu magis terreri, quam ſi riſus publici calamitatem ſibi imminere metuant. Quare, ad tales emendandos Satira ſemper haud exiguae facultatis futura eſt, praeſertim ita comparata, vt non ad iram prouocare vel inuitos, ſed corrigere et hortari velle videatur.

Igitur illud odium aduerſus Satiram non poteſt eius propria culpa, ſed aliorum iniuria, incenſum eſſe. Iis vero, qui male Satira abuſi ſunt, hoc ſine dubio maxime tribuendum eſſe videtur.

Nam quod hi auſi ſunt Satiram accommodare, non tam expellendis vitiis humanis, quam inimicitiae, odii et liuoris malitiae, accidit, vt nonnulli cre-

crederent, Satiram magis ad infamandos, quam emendandos virtutisque ſtudio imbuendos homines inuentam eſſe. Atquè profecto, ſi quis velit repetere, quot ingenio ſuo Satiraeque a natura datae facultate, abuſi ſint, ei id opprobrium adeo alienum a veritatis ſpecie non videbitur. Enimuero, quamuis id negari nequit, Satirae accidiſſe, quod rebus optimis quotidie fere accidere videamus, vt, quae in vtilitatem hominum eſſet excogitata, male ad damnum eorum conuerteretur, propterea tamen haec non magis atque illae, omnino tollenda et foras eiicienda videatur. Cauendum tantum eſt, ne, qui vitia hominum audeat corrigere, ipſe monitore indigere aliis putetur.

Atque in Satira inprimis hoc vitandum eſſe exiſtimamus, ne ſingulorum hominum mores deſcribentes et rodentes, ipſorum famae et exiſtimationi noceamus, aut ne ad ea, quibus praecipua re-

verentia debetur, Satiram male transferamus.

Quo nomine multos peccaſſe, ſuaque culpa ad Satirae contemtum vel inuitos homines compuliſſe, conſtat, qui talibus maleuolis hominibus ex iniuria aliorum, atque ſanctiſſimis rebus ridendi materiam naſci intelligentes, eam artem, quam tam pernicioſam vidiſſent nonnullis fuiſſe, coeperunt faſtidire. Sed profecto niſi tam multi eſſent, qui nulla re magis, quam aliorum contumelia, delectarentur, eius generis libri, quales Scioppius, aut Suiftius, et Liſcouius ediderunt, nec tanto fauore excepti, nec tanta cupiditate lecti fuiſſent, quoniam hi plerumque ſingulorum hominum mores, vel placita, carpſere, quod honeſtae Satirae natura non admittit, quae homines ad vitanda vitia, riſu de vitiis commoto, perducere conatur. Sed animus non eſt, Satirarum vſum in praeſenti definire, quod iam a Celeberrimo Rabenero

nero in praeſatione Satiris praemiſſa factum eſt, ſed alium fontem, e quo in Satirarum ſcriptores tam vehemens odium concitatum ſit, indicare conſtituimus.

Putamus ſcilicet, ſales quorundam nimios, quibus etiam in familiari ſermone et conſuetudine vtuntur, non minus odioſam reddidiſſe Satiram, quam malos ex eo genere libros. Garrulitatem Satiricam id genus morbi appellabimus, quo praecipue affectos eſſe eos videas, quibus a Natura vberius ingenium contigit. Tales enim ſaepe ea felicitate ita extumeſcunt, vt non facile, vel ingenio, vel alia quacunque re, inferiores, perferre, aut culpa propria lapſos excuſatione ſubleuare, poſſint. Sed quoniam hac ſuae felicitatis et praeſtantiae conſcientia, laudem aliorum et admirationem non facile poſſent obtinere, niſi dotes ſuas in conſpectum omnium collocare ſtuderent, propterea

quamcumque occaſionem, vel ſponte oblatam, vel anxie quaeſitam, conſueuerunt arripere, qua aliorum peccata poſſent perſtringere, ſuumque ingenium oſtentare.

Huius Hominum generis duas vidi ſpecies; alteram eorum, qui eiuſmodi ſale abundantes, iocis incendere et quaſi animare tantum eos, cum quibus loquerentur, cuperent; alteram iſtorum, qui odio, vel totius generis humani, vel ſingulorum quorundam hominum, incenſi, et animi malitia adiuti, male dicendi quaſi conſuetudine quadam contracta, omnia aliorum facta carperent. Sed quamuis hi magis, quam illi, peccant, quod horum dicteria a malo animo proficiſcuntur; illorum tamen laſciuia non magis probanda eſt, quam aliorum liuor. Vtrorumque vero incontinentia ſine dubio facit, vt tam multi iniquius de Satira iudicent. Iſtos enim ſales interdum acres in quemcunque obuium coniectos Satiris annumerare

ſo-

ſolent, inprimis etiam hanc ob cauſam quod, qui Satiras ſcripſiſſent, etiam loqui amarent.

Sed primo, male Satiris talia dicteria adnumerantur. Nam Satiram primi Poetae attigerunt, deinde ad orationem laxiorem Varro, inter Romanos, teſte Liuio, tranſtulit, (quem locum in Theſauro Linguae Latinae Celeberrimus Geſnerus interpretatus eſt.) Deinde, qui inter Veteres Satirae nomine memorantur, libris eius generis editis inclaruerunt, ſermonis contra familiaris lepores et vrbanitas nunquam ad Satiras relata ſunt. Quare, qui in talibus rebus Satiram requirent, multum Satirae dignitati detrahent, ad quam ſine dubio plura requiruntur, praeter ingenium, et omnia, quae in mentem venerint eloquendi temeritatem.

Eſt itaque haec loquacitas nonnullorum, vitium, quod ferri inprimis in

tali non poſſit, qui aliorum mores ſub tam acrem cenſuram vocet. Neque vero cum Satira coniunctum eſt, et euitari ſine dubio poteſt, quamuis videas Satirarum ſcriptores, non raro eodem morbo affectos eſſe. Sed tam facile forte hi ipſi non delaberentur ad hanc riſus commouendi cupiditatem, niſi eſſent, qui, quidquid ab iis diceretur, extollerent, immodicoque cachinno exciperent, quo plauſu, quamuis minus inuidendo, illi inuitantur ſaepe, ad ſales putidos et tales interdum effundendos, quos ab aliis prolatos non tuliſſent. Sed ita eſt, vt, qui ſemel quamdam de ſe opinionem commouerit, facile poſſit res ſuas, etiam viliſſimas, aliis probare.

Talis vero loquacitas, ſiue a malo animo, ſiue a luxuriante ingenio proueniat, ſpernenda, nec bono viro optabilis habenda eſt. Nam, quod in abſentes plerumque dirigitur, neque emendandi vim habere, praeſentibus vero et audien-

dientibus non iniquam ſuſpicionem mouere ſolet, ſibi abſentibus eamdem ſortem imminere, qua nunc alios premi abſentes videant. Atque eiuſmodi homines ingenio abutentes, raro apud multos gratioſi ſunt, et maior ſine dubio eſt eorum numerus, qui tales fugiant, quam, qui ament. Nam qui inferiores iis ſunt ingenio, ii nolunt ſua impenſa riſus materiam praebere aliis, cum his vero, qui ſe forte comparare cum talibus poſſent, raro diuturna amicitia eſſe ſolet, quoniam haec ingeniorum pugna interdum ita efferueſcit, vt ad inimicitias et odium perducat. Deinde haec ipſa carpendi omnia praua lubido animos iuvenum talia audientium ad ſimilem ſtultitiam incendit, vt ingenium oſtentare ludibrio exponendo alios cupiant, quod iis, qui ſibi ad gratiam et amicitiam aliorum omnem aditum patefacere deberent, pernicioſiſſimum eſſe ſolet, cum ſaepe ſumma imprudentia carpant, quos reuereri et obſeruare debuiſſent.

Abſentem, qui rodit amicum;
Qui non defendit alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum famamque dicacis,
- - - hic niger eſt, hunc Tu Romane
caueto.

HORATIVS

LANX

LANX SATVRA

ANALECTA
AD THOMAM CRENIVM
DE FVRIBVS LIBRARIIS

Londinenſis quidam Soſias, egregie cordatus homo, erat enim librarius, rure domum equo vectus rediens, incidit in graſſatores aliquot nobiles, vias Britanniae infeſtantes. (*) Ita eum in arctum quinque valentes corpore iuuenes coegerant, vt niſi reddere numos vehementi conuicio poſcentibus mallet, de vita actum videretur. Sed, dum plorat, atque orat per Deum hominumque fidem, parcant miſero! dum equum arbori alligat, et reſoluit cingulum, ſub quo latebant numi, qui inuitam vxorem a viduitatis malis redimerent; dum, conuerſis forte in hoſtes oculis, vidit trepidare omnes, et magis, quam nouos maritos pallere. Quo aſpectu aliquantulum confirmatus eſt, ſenſitque redire animum, qui iam horrenti corpori valedixerat. Sperat ſibi moram profuturam, cunctatur ideo, et cingulo, dum ſimulat nodos reſoluere, nectit nouos. Illi contra, non ſuſpicantes fraudem ſubeſſe, non magnope-

(*) *Highwaymen.*

re inſtant. Inter ea in immenſum creſcunt vires librarii, nec, vt antea, oſſea lingua detrectat officia. Audet alloqui. Quaerit primo; illi reſpondent. Quidni pergat? et pergit ſane quaerendo, nec illi nunc minus honeſte, quam antea, reponunt. Contemplatur a capite ad calcem tam modeſtos fures, ſtupet manus, tam agiles, tam carneas, tam aptas ſcriptoribus. Mirabundus in hanc orationem erumpit. "Miſeret me veſtrum, o boni! quis vos furor, „quae dementia in talis vitae pericula deiecit, tam fortes et membroſos iuuenes! „Dicite, quaeſo vos, cur malitis fugitiui „et errones per totum diem campos et „vias percurrere, interdiu in ſiluis, noctu „in ſpeluncis latitare, quam in vrbe conſiſtere, aut in alio honeſto loco prodire? „Quam difficulter vobis a laqueis iudicis, „et coniurati in mortem veſtram apparitoris, cauebitis, qui non prius vobiſcum „in gratiam redibunt, quam poſtquam „perfidus vos currus collo ſuſpenſos deſeruerit. Videte itaque quid agatis. Ipſa „vos natura meliori ſorti deſtinauit. No-

„lite

„lite committere, culpa veſtra, vt hae „manus veſtrae illaudatae pereant. In „his omen eſt, quod vos recipere oportet, „ad ſcribendum enim nati eſtis. Conſulite „vobis; non mihi videmini longo tempo„re ita ad malitiam obdurati, vt preces „meae ſint irritae apud vos futurae. Si „permittitis, res veſtras quamuis fere „perditas reſtituam et ſimul vos a fa„mis neceſſitate liberabo." Attoniti adſtiterunt iuuenes, haerent, quid reſpondere debeant neſcientes, tantopere orationis grauitas, et aetas oratoris, ac fallere neſcia eiuſdem ſimplicitas mouerat eos, erat enim e placida Quacerorum familia. Recondunt ſtrictos vaginae enſes, et redeunt cum librario, cui bellum antea indixerant, in gratiam. Hic perquirit deinde, vnde ad eam vias infeſtandi temeritatem delapſi ſint? Cuius rei vnus ſine mora ſequentem reddidit rationem, "Magiſtrorum no„ſtrorum inuidia nos ad talis vitae aleam „compulit: Collegio cuidam ſeueri patres, „vel credulae matres, vel cupidi tutores, „nos inuitos, vt aiebant ſtudiorum cauſa,

„ incluſerant. ibi abſtulimus commilitoni-
„ bus nonnulla, quibus abundabant, nos in-
„ digebamus; hoc ipſum praeceptores no-
„ ſtri in ferulam nati aegre tulerunt; in-
„ crepant nos primo, nihil tale meritos, ver-
„ bis; mox confeſſos criminis, ſi Deo
„ placet, permagni, ſuppliciorum foediſſi-
„ morum infamia terrent, denique diem
„ conſtituunt, quo nos e collegio in exi-
„ lium ignominioſum mittant. Nos contra,
„ cognita re, conſilium fugae cepimus.
„ Oberat Argo oculatior cuſtos, Ianitor
„ Collegii; aduerſus preces et blanditias
„ obduratus, qui fraude victus a nobis
„ fuit. Mero ad ſomnum perduximus, claues
„ deinde vino ſepulto patri, antea non in-
„ fenſa nobis eiuſdem filia ſubtraxit, et
„ iis nos e duriſſima ſeruitute in liber-
„ tatem vindicauit. Sic nos tandem ex er-
„ gaſtulo exiuimus. Quamuis vero libera-
„ tis omnis poenae metus euanuiſſet, non
„ tamen minor anxietas, quid faciendum?
„ vnde viuendum? quorſum curſus diri-
„ gendus ſit? deliberantibus. Domum re-
„ dire, metuentes patruae verbera linguae,
„ no-

„nolebamus; pudor a mendicando, molli-
„ties a militia deterrebat, tandem vni no-
„ſtrum venit in mentem, ducum filios et
„fratres, dilapidato pusillo peculio, in regiis
„magniſque viis, adoriendo viatores, alienis
„ſumtibus ſatis laute viuere; placuit exem-
„plum cunctis, cuncti ad imitationem parati.
„Vendimus omnia, quibus carere ſine mo-
„leſtia poſſumus, e pretio equos et arma
„emimus: hodie, ſic inſtructo exercitu no-
„ſtro, ſub veſperam primum caſtra in hunc
„locum mouimus, tirocinium fortitudinis
„in quocunque facturi, quem nobis forte
„fortuna offerat hoſtem. 'Is tu ipſe eras,
„deinde reliqua, quae non ignoras." Qui-
bus auditis, gaudio reſolutus Soſias ruit in
ſingulorum amplexus, bonoque iubet ani-
mo eſſe, et candido hunc diem notare la-
pillo, tandem, quam primum prae laetitia
poteſt, exclamat: o me fortunatum homi-
nem!, cui vno die contigit, tot robuſtos
et litteratos viros reddere rei publicae.
Nam ſi recte teneo, vos omnes docti et
eruditi viri eſtis? Nil minus; vnus repo-
nit: O mirabilem in iuuenibus modeſtiam!

Nonne, inquit librarius, legere et ſcribere didiciſtis? Satis mediocriter; vno conuicio reſpondent; ohe iam ſatis eſt, pergit Soſias; nil enim amplius deſidero, eſtote bono animo, ſequimini me, ſi frugi eſſe volueritis, poteritis vitam apud me ſatis beatam viuere, nec vlla vos premet egeſtatis moleſtia, nec vlli ſuppliciorum terrores. Ero vobis patris, vos mihi filiorum loco. Sed vnde haec tibi in ignotos homines liberalitas? quid viciſſim a nobis exigis? quid poterimus Iro indigentiores tibi rependere? quaeſiuere iuuenes. Nolite hoc curare o mei, Soſias repoſuit, nihil a vobis mihi volo viciſſim dari, quam vt quotidie chartae quandam menſuram ſcribendo impleatis; quod a vobis ſcriptum fuerit, meis impenſis reddetur machinarum miniſterio, exibitque in dias luminis auras. Sed quomodo nos, indocti et rudes homunculi, aliquid dignum lectu poterimus proponere? O! inquit;

Sedit, qui timuit, ne non ſuccedere,

pudeat vos tam puerilis humilitatis, haec omnia

omnia nihil ad vos, res meo periculo geritur, Quid ceſſatis longius? nonne videtis honeſtam ſatis, et pinguem conditionem vobis proponi? Flectuntur tandem iuuenes, nec amplius Soſiae repugnant ac dextra ab vtraque parte data, res conficitur. Dirigitur ad vrbem iter. Aiunt, ſed narratur res ſine auctore, credat igitur Iudaeus Apella, nos cras credemus, hodie nihil. Aiunt itaque, nam pudet tantis ambagibus narrare rem fingendi nonnullorum libidini debitam. Scilicet cui parcit liuor? Sunt itaque qui dicant, ſed ſunt alii, non nos, hoc tenete lectores, librarium inter eundum armorum reueritum pondera, iuuenumque numerum ac vires, ciuilem humanumque fuiſſe; reducem domi alto ſupercilio eos deſpexiſſe, et fere ſeruorum numero habuiſſe. Effrenatam vero calumniandi licentiam! quis feret hoc de librario dici? quorum ſcilicet modeſtiam nouimus. Mihi quidem non ſit veri ſimile, atqui ipſis hoc commentum placet. (*)

(*) Terentius Andria.

Aduenerant ad vrbem. Deſcendunt in Soſiae domo, omnia in ea munde et eleganter non magnifice vident diſpoſita. Gratulantur hoc aſpectu iuuenes ſibi inuicem huius diei benignitatem. Coena poſt haec apponitur non lauta ſed frugalis, nec tamen omnino Pythagorica, aderat enim Soſiae prouidentia caro bouilla profutura ad confirmandas manus ſcripturas. Deducitur deinde quisque ab hoſpite in ſeparatum cubiculum. Altero die, mane ſub galli cantum, vocantur ad ientaculum, quo ſumto, ſic cum iis, perhibent, Soſiam locutum eſſe. "Vidiſtis nunc, ni fallor, cui „vitae generi vos deſtinem; ante vero, „quam poſſum vobis declarare, in quo „velim vos elaborare, oportet me vires „veſtras cognoſcere; fiet hoc ſcripta a „vobis ad me epiſtola, ſi placet, poteſtis „vos ex templo ad ſcribendum componere; „deinde properabimus ad prandium." Nil aequius, conclamant omnes, parati ſurgunt, et futuri opificii inſtrumenta accipiunt, chartam, et calamos, et atramentum, et cultellum, et arenam. His armis inſtructi ad

ad ſcribendum diſcedunt; at inter nitendum fertur eos poenituiſſe, quod ſeruati á profeſſoriae linguae ſeueritate non minus graui iugo, incauta colla ſubmiſerint, victam tamen hanc poenitentiam eſſe nidore e culina ſurgente, prandiique non fallaci ſpe. Scribunt itaque et feſtinant, ne eodem ſua culpa longius careant. Tandem exegerant quod iuſſi fuerant. Adrepunt deinde titubantes herum

vt nudis preſſit qui calcibus anguem
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram. (*)

At hic, vt callidus, etſi multa videt tironibus nec adſuetis ſcripturae inſolentiae, excidiſſe, in quibus vel ipſe limam deſideraret, ſimulat tamen ſibi omnia probari et perplacere, denique hortatur, vt audiant ſuper ſcriptionis nobili opificio magiſtrum quemdam eam artem mire callentem, cuius diſciplinae conſtituerit eos committere. Non verendum iis eſſe, ne hic eadem ſeueritate cum ipſis ageret, qua a collegii doctoribus eſſent confecti. Tam mitem et patientem et

(*) Iuuenalis Sat. I. v. 43.

et modeſtum hunc futurum, quam turgidi ſeueri et arrogantes illi fuiſſent. Eo ventum erat, vt, etſi quam maxime voluiſſent, tam honeſtam legem effugere non amplius potuiſſent, receperunt igitur ſine mora.

Scribendo pro Soſia conſenuerat homo non indoctus quidam, nec tamen celeber, plerorumque annorum vſu et exercitatione magnam ſcribendi facultatem conſecutus, librisque ſcrofa alba Latina (*) foecundior. Scribebat is omnia, et maxime ea, quae minime intelligeret, ſi modo e re Soſiae futura erant, Comoedias, Tragoedias, Hiſtorias, Fabulas, Epiſtolas et Satyras.

Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat; et tamen omnia haec mediocriter (**)

Ex templo, vt res Soſiae ferebat, e Rhetorica in Philoſophiam, e rebus priuatis in publicas, e veracitate in mentiendi li-

(*) Virgilius Aen. VIII, v. 43. Iuuenalis Sat. VI, v. 173. XII, v. 176.

(**) Terentius Andria Act. I, Sc. I.

licentiam, e puriſſimo dicendi genere in ſummam lubricitatem transſiliebat. Nec mora huius rei in eo vlla. Hoc ſcriptoris Cameleon quinque iuuenibus a Sofia praeficitur, idem deinde percunctando cognoſcit ſingulorum facultates, atque iudicium interponit, cui ſcripturae generi quiſque eorum aptus videatur.

Primus, vt breuiter dicam, erat ſine pectore venter, qui ſibi videbatur ad edendum bibendumque vitam accepiſſe. Facile vetulus diſpenſator videbat, corporis in hoc homine vires praeſtare animi facultatibus, atque hinc tale huic deſignandum opus, in quo vti membris poſſet. Sapientes igitur iuſſit excerpere et congerere vndique materiam in variis libris diſperſam, eamque in vnum cumulum coaceruare, hanc rudem vero et indigeſtam molem ſecundum litterarum ordinem diſpoſitam voluminibus magnis et craſſis incluſam, ad vſum eorum publicare, qui mallent docti videri, quam fieri, quorum ſine dubio eſt non paruus numerus. Neque fefellit ſpes

iu-

iudicem, nam hominis in hoc etſi maxime moleſto labore pertinacia, multas repertoriorum, promtuariorum, Encyclopaediarum et ſimilium immortalium operum offas effudit.

Alter, etſi ingenii nomine non multum naturae debebat, ſumma tamen feſtinatione ſcribebat, et viciſſet forte illum, quem Manilius ſcribam futurum praedixit,

Hic et ſcriptor erit velox, cui littera verbum
eſt,
Quique notis linguam ſuperet curſumque
loquentis
Excipiat longas noua per compendia voces. (*)

Huic veteranus ſcriptor dixit: Fies poeta; et ſubito qualem optabat, euaſit. Qui carmina heroica centum vno halitu exſpiraret, Idyllia euomeret, Epigrammata quotidie mille ſternutaret, Odis dormiens crabatum inundaret.

Tertius erat ad ſeculi praeſentis genium mire compoſitus, ac magis garrulus, men-
dax

(*) Aſtronomici Libro IIII, v. 197.

dax et ineptus, quam centum aniculae: hunc iuſſit exercitor operis acta diurna ſcribere: placebis mendaciis et hinc potes quotidie pro ingenio gnauiter mentiri: augebunt mendacia materiam, ſi quae finxeris hodie, cras retractabis: hoc modo tibi, etſi fallaci ſcriptori, fidem habebunt lectores, ac putabunt quae legerunt, non a te inuenta ſed narrata eſſe. Hic tenax praeceptorum, Ambubaiarum collegiis, ſutoribus, fullonibus, phrygionibus tonſoribusſque mire gratus feſtiuitate ſua factus, rem Soſiae per aliquod tempus vehementer auxit.

In quarto, cum videret Soſias, eſſe litteras nonnullas et non contemnendum ingenium, in ſcribendo elegantiam cum accuratione, dolens ingemuit. „Tu bene „ſcribes, inquit, ſed non multa, et hinc non „ſatis optabilis ſcriptor es futurus librario. „Noſtri generis hominibus ſcriptores me„diocres, librorum tamen multitudine fa„mam decipientes, et hinc populares, ma„gis probantur, quam ſubtiles, acuti, ni„tidi.

„tidi. Nam hi dum comuntur, dum moliun„tur, multi anni pereunt. Tandem cum „aliquid quaſi per vim in publicum ab iis „adfertur, laudatur quidem a paucis do„ctis hominibus; ſed quid haec laus ad li„brarium attinet, cuius nil intereſt, bonus „quis an malus ſcriptor ſit, modo eius liber „ematur. Atqui doctiſſimi libri raro ad rem „augendam librario proſunt. Pauci enim „tales libros cupiunt, pauciores legunt, „pauciſſimi emunt, ac propterea in taber„nis elegantiſſimi ſcriptores ſine emtore „frigent, dum ad auram populi demiſſi „feruent admiratorum emtorumque aeſtu. „Si itaque vis tibi mecum rem eſſe, ſcribe „vt ſcripſeris, non vt laudem conſequaris. „Princeps enim in ſcriptore dementia eſt „immortalitatis adfectatio, quae nec opi„nantibus obtruditur, meritis et ſperanti„bus negatur. Is demum bonus merito ſuo „claruſque erit ſcriptor, qui multos libros „vendibiles edidit, ita eorum durante fa„vore, vt nouis editionibus opus ſit. „Hanc veram vnicamque laudem cupias „mercedem ſcripturae tibi rependi. Apage „ele-

„ elegantiam , eſt ea inanis. Iis po-
„ tius vtere artibus , quae te populo
„ gratioſum facient ; Nil praeter hoc deſi-
„ dera! Omnia enim reliqua , crede mihi,
„ qui haec didici expertus ; omnia enim
„ reliqua, inquam, vana ſunt, nec digna ſa-
„ tis tuo voto.

Sed, quid quinto iuueni faciant, et Soſias, et magiſter vetulus, ignorant. Truncus erat et immobile lignum, praeterea multo abdomine tardus, nec quidquam in eo humani praeter corporis figuram, et tamen, niſi eum immeritum Soſias ſua vellet impenſa alere, oportebat hunc quoque ſcribere. Sed, cui rei homo omnino ineptus poterat aptus videri? Hinc multum cum vetere ſcriptore deliberauit Soſias, multaque cepit vterque conſilia, quae vterque deinceps putaret abiicienda. Sic voluerat hunc ventrem ad iuriſprudentiam compellere. Lepidum ſane iureconſulti ſine cerebro caput! ſed forte non vnicum. Liberatus tamen ab hac anxietate Soſias eſt,

 poſt-

poſtquam e rege ranarum praeter omnem ſpem Philoſophus factus eſt, qui, non ſolum fama et aſſeclarum turba per duos totos annos floreret, ſed multos quoque libros emitteret, quos, quod nec ipſe ſcriptor, nec ceteri lectores intelligerent, plerique ſubtiles et acute ſcriptos cenſerent.

Sic cuique quotidianum penſum datum eſt. Et initio omnia bene ceſſerunt, vt iam Soſias gratularetur fati felicitati, qua his doctis praedonibus fuerat oblatus. Sed

Naturam expelles furca, tamen vſque recurret. (*)

Nulla victoria difficilior eſt, quam ſi quis naturam ſubigere ipſam conetur. Hoc ſcilicet Soſias damno ſuo expertus eſt. Nam quis non vanam ſpem inire eum credet, qui tot diſſolutos, perditos et turbulentos iu-

(*) Horatius Ep. I, 10. 24.

iuuenes, ſub vno eodemque tecto viuentes, in eodem triclinio prandentes atque coenantes, fidem ſeruare promiſſorum, aut velle, aut, ſi quam maxime velint, poſſe, cum tamen coniunctos malitiae neruos queant intendere, exiſtimet. Atqui hoc Soſias ſperauerat, non debuit igitur grauari, cum a vana ſpe deiiceretur. Quam rem ſic narratam accepimus.

Sub initio placuit iuuenibus nouitas rei ſpeciesque nonnullius libertatis. Sed, poſtquam quotidie eſſet ſcribendum, coeperunt faſtidire ſcriptionis moleſtiam, quae iis tanto acerbior erat, quanto minore vel doctrinae vel ingenii apparatu ad ſcribendum acceſſerant. Hinc, vt artes excogitarent, quibus eleuare quotidiani laboris onus poſſent, mire ſtuduerunt. Sed incaſſum laboraſſent, niſi ipſius Soſiae imprudentia eos iuuiſſet. Sic animatus ſemper fuerat Soſias, vt, quemadmodum e hominibus homines naſcantur, ſic e libris libros procreari putaret. Nec huic opinioni experientia repugnat.

Quid enim multi nec illaudati ſcriptores aliud fecerunt; niſi hoc, vt è nonaginta novem libris centeſimum conſcriberent. Quam ob rem, cum Soſias vellet ſcriptores ſuos abundare copia earum rerum omnium, quae aliquam ad eam artem poſſent facultatem habere, iis ad libros omnes, qui in taberna ſua venales proſtabant, aditum liberaliſſime aperuit. Illi contra quo vti debuiſſent beneficio, ingrati abuſi ſunt.

Ferebantur naturae quadam prauitate ad rapinam iuuenes noſtri, malebantque omnes interdum aliena ſumere arca, quam ſuo contenti viuere agello. Quare, poſtquam libros acceperant, inierunt rationem, qua ſe poſſent laboris faſtidio eripere ſine mortis famiſue vllo periculo. Nam, etſi dudum iam pertaeſi quotidiani operis eſſent, nolebant tamen a librario diſcedere, melius rati ſcribere, quam eſurire. Nunc vero poterant diurni operis moleſtiam minuere et tamen librarii ſumtibus viuere, quod vtrumque diu optauerant. Extemplo itaque ſe ad

de-

deſcribendum accinxerunt. Quid intereſt? quaeris: nihil ſane, ſi circumſpecte res agatur et caueas, ne manifeſtus plagiarius habeare, et

mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem (*)

Multi ſic, nec ſine gloria. Noſtri vero iuuenilis imprudentiae poenas dederunt, ſuaſque ac Soſiae res male perdiderunt. Miſcentes enim quadrata rotundis, acuta obtuſis, vera falſis, quomodo non

ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus. (**)

Atque, vt a primo incipiamus, cui repertoriorum et ſimilium librorum opus a diſpenſatore librarii adſignatum fuiſſe, ſupra diximus, is quidem e Baylio atque Hubnero quodam tranſmarino

(*) Horatius Epiſtol. I, 18. 77.
(**) Idem Epiſtol. I, 3. 18.

rino furari, quam e variis ſcriptoribus conquirere maluit. Cum vero ſe, nec ab Illius ingenio, nec ab huius cauiſſet credulitate, haeſit in fabulis riſuique ſe intelligentium dedit. Deinde, cum ſe intra eruditionis puſillae arctiores limites nollet continere, ſed cuperet quoque exſpatiari in ignotas ſibi litterarum partes, miſere ſcopulis affixus periit. Sic cum ſe ad iuriſprudentum Theologorumque ſcrinia compilanda dediſſet, ita ei hoc facinus male ceſſit, vt qui rapiendo decipere alios decreuerat, ipſe turpiter deciperetur. Nam cum parum eius intereſſet, vnde hauriret, modo eſſet e vicino fonte, ad enumerandas Britanniae leges Gallofrancorum iureconſultorum libris abuſus eſt affinxitque patriae inuiſae gentis externae leges. Nec cautius Theologiam attigit. Retulit enim inter praecepta Britannicae eccleſiae, eos errores, quos dudum cum Iacobo rege eiecerat Britannia. Hoc nomine Theologis innotuit, a quibus in eum, omniſque culpae expertem Soſiam tantus conuiciorum imber detumuit, vt cognita re, quo facilius hunc maculam elue-

elueret, ſine mora tam impium ſcriptorem foras eiiceret Soſias.

Alter, etſi celerius carmina ſcribere, quam Gaetulus curſor currere poſſet, ſuperſedere tamen numerandi pedes faſtidio voluit. Atque libris potitus, centonem carminis confecit, tam male conſutum, tam diuerſum, vt facile omnes poſſent perſpicere, vnde quemque panniculum collegiſſet. Nec enim pedum, nec carminis diuerſi curam habuit. Sed, vndique collectis diſparibus membris, tam deforme corpus carminis exiit, vt monſtri nomen deficeret. In Odis enim interdum ſubſiſtebat et hiabat. In elegis mox ſublato ad coelum vertice ſidera feriebat, mox ſubter vndas natans in oceano margaritas conquirere videbatur, in Idylliis interdum furere ſolebat. In Epigrammatis vero non pepercit verſibus, quorum numero in hoc genere mirifice delectabatur. Sed nec huius fraus diu latuit, cum eſſent qui ſubodorarent inſolentis quid in hoc poeta, vnde rumor facile in vulgus exiit, nec

 de-

defuerunt, qui eum meliore iure plagii accuſarent, quam qui nuper, nonneminis cuiusdam ineptiis decepti, Miltonum talis criminis reum inſcripſerunt.

Tertius, actorum diurnorum ſcriptor, ſapienter ratus nihil dici hoc tempore poſſe, quod non iam fuerit aliquoties repetitum, noluit immodeſtus videri, ſed fidem tam ſaepe decantato prouerbio habuit. Atque potuiſſet huius tantae ſuae modeſtiae fructus percipere, ſi artem in hoc genere rapiendi penitus perſpexiſſet. Quis aegre tuliſſet, niſi maxime iniquus aut moris hodierni plane ignarus, ſi e variis ſimilibus ſchedis, quae circumferuntur, excerpendo, conglutinaſſet nouam. At, cum parum putaret lectoribus intereſſe noua an antiqua, heri an ante ſecula geſta legerent, e vetuſtis quibuſdam diariis excerpſit, ſeruatis quoque nominibus eorum, qui dudum mortui eſſent, ſic e Gallia de Mazarino, e Germania de Leopoldi Imperatoris morte, e Suecia Caroli XII. calamitatem et his vetuſtate ſimillima retulit.

Riſu-

Riſu exceptus, et, quod furere crederetur ſcriptor, abiectus eſt.

Quoniam quartum noluerat librarius vti ingenii felicitate, eum libris aliorum in vernaculam linguam transferendis admouerat. Sed, vt fit, in eo negotio ad malam fidem defecit, et qui exprimere placita aliorum debuiſſet, ipſe ſuum iudicium non rogatus interpoſuit; infames ob eam cauſam eius interpretationes factae ſunt, nec quiſquam legere optauit, quae ignotus homunculus, abuſus aliorum celebritate et exiſtimatione, infarcire alienis libris fuerat conatus.

Nulli iuuenum plagium felicius euenit quam quinto. Is, ad philoſophiam delatus, inuenerat ignotum quemdam hominem, pro philoſophia iam dudum ſtrenue eſurientem, qui in extrema vitae deſperatione, farraginem commentariorum philoſophicorum, ab eo, (quis hanc

facultatem in opera ſua neget ſcriptori*)
Theſaurus omnis humanae ſapientiae inſcriptam, vendere, quam tam diuitem poſſeſſionem ſeruare mortis periculo malebat. Iſtam vero totam famelici ſcriptoris philoſophiam noſter emit, modico ſatis, ſi molem libri ſpectes, pretio, et in tantum ſubito e fungo creuit philoſophum, vt mali quid tam ſubitaria doctrina portendere vulgo putaretur. At raro conſtans gloria eſt, quae ſcelere paratur. Hinc etſi noſter per plures annos fraudis fructus percepiſſet, tandem tamen ab hac iniqua poſſeſſione, domini vindiciis, deiectus eſt. Commentarii enim iſti, quos noſter emerat, non fuerant ab eo compoſiti qui ſcripſerat. Sed is conſtitutus in diſciplina non ignobilis cuiuſdam Philoſophi, cauſus exceperat calamo, quae praeceptor dictauerat. Hoc pacto ipſe factus erat philoſophus; hoc pacto venalem arbitrabatur philoſophiam facile emtori cuique contingere poſſe. Noſter vero ſcriptor Philoſophus, etſi titulum poſſeſſionis ſatis pro-

probabilem poſſet edere, fructum tamen gloriae reſtituere coactus eſt. Nam, poſtquam aliquot tales libri emiſſi et, vt ſole, quod a nouo quodam Philoſopho prouenifſent, cum inpotenti fauore ſub initium excepti eſſent, fati iuſtitia fraudi volens rependere meritas poenas, obtulit eorum manibus, qui cum ipſo ſcriptore dictata a Magiſtro eodem exceperant. Hi, vt primum legunt, memorant ſe aliquid legiſſe alibi, quod non multum ab hoc ſcribendi genere differret. Properant deinde quiſque ad ſuum commentariorum exemplum. Heu miſero! nil vnquam magis ſimile vidiſti his dictatorum exemplis. Conclamatum de furto ſcriptoris. Nec minis, nec conuiciis, nec iniuriis pepercerunt, vt magiſtro librum ſuum vindicent. Sic a ſcena hic quoque Soſiae ſcriptor male mulctatus aufugit.

Soſias vero deinde ſecum reputans, quantum damni perfidia iuuenum paſſus ſit, alte

in-

indoluit, quod ſeruare ſe a minore incommodo maiore damno voluerit, conſtituitque nunquam ad ſcribendum graſſatores vocare. At, tales ſcilicet ſaepe non vocati vobis occurrent, itaque cauete librarii!

PRO RABVLIS
ORATIO

Tandem, Auditores, innocentiae defenſio multorum improbitate interclusſa reſpirat, tandem veritatis ſplendor ex animis veſtris calumniarum nubeculas expellet. Fauete itaque linguis, nec ſponte me ad dicendum putate proceſſiſſe, ſed a maiore vi, cui reſiſtere temerarium fuiſſet, impulſum. Audite patienter, nam rem omnem nunc a principio narrabo.

Sub nuperi cuiuſdam diei veſperam, cum in muſeo meditarer, de quanam re potiſſimum ad vos hodie deferrem, ſubita me vox perterruit. Dum oculos ad eum locum dirigo, e quo ea exiiſſe videbatur, ecce! adſtat anicula, quae ſtipem rogare velle videbatur. Id enim lacerum palliolum, laxi calcei, crines reſoluti, facies rubicunda et totius corporis ſqualor ſignificare videbantur. Sed me tam impiae coniecturae ſtatim poenituit, poſtquam me in ſequentem modum allocuta eſt. "Noli, mortalis! „grauari numinis praeſentiam, audi, quae

„ſimus,

„ſimus, et quid velimus, mandata deinde „noſtra vniuerſo humano generi refer." Ego vero, anicularis numinis poenas veritus, me paratum futurum ad exſequenda omnia, quaecunque iuſſerit ſine mora ſpopondi. Quo facto, ſic exorſa eſt: "Nolo „longius hominum in me meoſque arrogantiam perferre, quae eo progreſſa eſt, „vt nos e terrarum orbe tollere vellent et „eſſe negarent. Sum enim e numinum „ſiue mentium eo genere, cui alii Philo„ſophi *mediorum entium*, *ſpirituum tutelarium* alii, nonnulli *geniorum* nomen impoſuerunt. Nec tamen praeconibus noſtris fides omnino habita eſt, atque „propterea ipſa e regione noſtra ad te pro„fecta ſum, quem volui praeſens docere. „Scito itaque in aethere numinum ſpeciem regnare, inter angelos quidem et „homines mediam, nec corpus habentem, „nec eodem omnino deſtitutam. Vtimur „enim ſola corporis quadam ſpecie, quando „a mortalibus oculis conſpici volumus. Ceterum tutela quarumdam inter homines „ſocietatum nobis commiſſa eſt, et ad me

ra-

„rabularum patrocinium detulerunt. Hinc „aegre fero, tam male a vobis clientes „meos haberi, famamque et fidem, cum „exiſtimatione immeritis auferri. Haec „omnia volo iis breui reſtitui. Quod niſi „noſtra cauſa proxime factum eſſe ſenſero, „duriſſimis poenis omne humanum genus „coercebo. Ne vero poſſitis conqueri, „improuiſos nec monitos ante poenas no„ſtras oppreſſiſſe, ipſa te noſtrae volunta„tis certiorem factura deſcendi, vt ea „cognita, alios quoque poſſes hortari. „Quoniam vero orationem meditaris,com„mode ea occaſione vti poteris, ad defen„dendos noſtros clientes reſtituendamque „iis famam iniuria ablatam. Nec potes „vereri, ne te tui ipſius defenſionem ſu„ſcepiſſe dicant. Quis enim eum rabu„lam putauerit, qui nullam vnquam cau„ſam in foro orauit?

His dictis ſublimis abiit. Ego vero non credidi, me patrocinium a tanto numine mihi delatum, detrectare poſſe, praeſertim, cum nunc rabulas tam vehementer ad-

mirer, quam inuidioſe antea eoſdem deſpiciebam: Nec dicturus pro rabulis vereor, Auditores, ne in tanta, quae diluere debeo, criminum multitudine ac varietate, aut materia me orationis deficiat, aut mihi ſine pondere verba cadant, ſed potius genii potente auxilio ſuffultus, ipſo rabularum ſpiritu animatus, ſubleuatus veſtra audiendi patientia, criminum denique iniquitate accuſatorumque arrogantia incenſus, mihi, etſi cetera non diſſerto homini, hanc tamen orationem feliciter ſucceſſuram eſſe ſpero, imo confido.

Enimuero, quoniam facile potui praevidere, difficilem futuram eſſe in tanta criminum multitudine ſingulorum enumerationem, magnopere elaboraui, vt ad fontium, e quibus ea ab accuſatorum iniquitate hauriantur, tenuitatem redire eosque exſiccare poſſem. Atque accurate conſideratis omnibus, quae meis vulgo obiiciuntur, credo ad triplicem malae fidei, inſcitiae, et impudentiae cauſam reuocari ea omnia poſſe. Ne itaque vos audiendi

ma-

magis taedio abrepti, quam accuſatorum argumentis perducti, in iniquam ſententiam diſcedatis, Auditores, breuitate meae orationis cauere et ſumma tantum multiplicis accuſationis capita attingere conſtitui.

Sed, quid, quaeſo vos Auditores, ipſi videte, quid magis ineptum excogitari poteſt, quam ea pars accuſationis, quae a mala fide petitur. Quis in eo, qui vincere aduerſarium conſtituit, bonam fidem requiret? Vincit ſcilicet, vtcunque poteſt, modo vincat: bella quoque omnia victoriae cauſa indicuntur; ſic, vt iudici lites committantur decernendae, ſpes quoque victoriae facit. Atque profecto, Auditores, nolite dubitare, iiſdem legibus cauſas forenſes regi, ad quas cetera bella exiguntur. Nam Naturam primis hominibus vim et arma ad corporum defenſionem tradidiſſe, ac duorum pugnam bellum fuiſſe, conſtat. Sed poſtquam homines, vel ſecuritatis, vel commoditatis cauſa, in ſocietates coierunt, abhorrere quoque ab iis omnibus coeperunt,

quae aditum diſcordiae aperire videbantur. Hinc eam armis pugnandi licentiam ſponte depoſuerunt, ſeruantes ſibi aliam belli per verba ſpeciem, cuius exitus iudicis ſententia definiretur. Nec tamen hoc verborum bellum alias leges habet, quam quas et armorum pugnae, in quarum locum ſucceſſit, recipiant, ac propterea ea omnia, quae iure belli permiſſa ſunt, et belli ducibus conceduntur, recte quoque in cauſis forenſibus ab earum patronis ſumi cenſendum eſt. Atqui, quis exercituum imperatoribus, aut vrbium expugnatoribus, aut claſſibus praefectis fraudem vnquam exprobrauit; e qua ipſa ſcimus ad eos prouidentiae laudem et fortitudinis gloriam eſſe delatam. Belli enim tempore Fidem de ſede ſua deiectam obmuteſcere, Fraudem contra imperare, omnes conſentiunt. In omnium vero temporum hiſtoria, etſi ab ea ſtultiſſimorum hominum memoria eadem cura, quam ſapientiſſimorum ſeruetur, fruſtra vnum tam ineptum hominem quaeſiueritis, qui conatus ſit, imperatorem eo nomine reprehendere, quod, vt ad inſidias hoſtes per-

perduceret, et eo modo facilius vinceret, fugam ſimulauerat, aut ad arcem capiendam perfidia eorum, qui eamdem defendere debuiſſent, vſus erat: quis vnquam hoc bellico duci vitio vertere audeat, ſi in doloſum locum, cui pyrium puluerem ſuppoſuerat, inuitatum hoſtem ſublimem necauerit, induciarum pacto bellum protraxerit, et cunctando res ſuas reſtituerit. Quae omnia ſi facta ſunt, quis eſt, quin recte facta eſſe exiſtimet, et imperatores eo nomine laudare quam reprehendere malit. Videte itaque, Auditores, accuſatorum iniquitatem, qui non erubeſcant in his inuidioſe reprehendere eadem, quae in aliis eiuſdem fere generis hominibus, ſoleant vehementer laudare. Nullum eſt niſi hoc partium ſtudium eſt. Num cauſarum patroni minus, quam exercituum imperatores, bellici duces habeantur? tantumne differat armis an verbis pugnetur, vt diuerſas vtrique belli generi leges excogitare, et omnibus a Natura datam fraudis poteſtatem, aliis concedere, aliis adimere, debeamus. Cur vero cauſarum patronis ne-

negare eandem facultatem velitis, quam ceteris imperatoribus tam liberaliter tribuitis. Quoniam, aitis; cauſae forenſes in pace aguntur, quae fraudis perfidiam non patitur. Subtilem profecto et acutam orationem. Igitur non vultis recordari, ſi extra ſocietatem vagari homines quam in coetus coire maluiſſent, duos, ob leuiſſimam cauſam bella geſturos vi et armis fuiſſe, cum nemo aut poteſtate aut dignitate ſuperior affuiſſet, qui interponere iudicium ſuum potuiſſet. An vero manſuetiores facti homines omnem facultatem belli iure tributam abiecerunt? nihil praeter veritatis ſimplicem facultatem integram ſibi ſeruantes. Et quid differt? verbis an armis pugnetur, fortunae aleae an iudicis ſententiae exitus permittatur? In truculentis iſtis proeliis vincit, qui viribus et pugnandi arte ſuperior eſt, in lite forenſi, qui callide rem ſuam defendere, multos teſtes anteſtari, multa inſtrumenta iudici offerre poteſt. Vtriusque belli exitus anceps et dubius eſt. Paria quoque vtriuſque pericula. Quis itaque aegre feret, ſi vterque quoque ſimili pro-

vi-

videntia rebus ſibi commiſſis prouideat, pari ſollertia hoſti damna afferre ſtudeat. Et Imperator quidem homines ad nomina in delectu danda, blanditiis, minis, pecunia, vi denique perducere conatur, hoſtes itinerum moleſtia conficit, fraudibus decipit, fidemque eorum largitionibus tentat, inducias, ſi poteſt, in vtilitatem ſuorum paciſcitur, pacis ſpem ſaepe fruſtra commouet, et quam diutiſſime, vt hoſtem ad inopiam redigat, bellum ſtudet protrahere, ſin ipſe adhuc opibus abundet. Atque contra ea omnia nihil dicitis, itaque nihil eſt, quod in his omnibus reprehendi poſſit. Nolite tamen exiſtimare, maiora crimina noſtros clientes commiſiſſe.

Id vero tam acerbe exprobratum iis eſt, quod in bellica cauſa, duces forenſium cauſarum, imperatorum exempla ſecuti ſunt, teſtes ſcilicet ſollicitant, et, pro vtilitate clientum, vel ad teſtimonium perducunt, vel ab eodem alienant, aduerſarios autem lites protrahendo ad tantam inopiam redigunt, vt ſufficere longius ſumtibus

 ne-

nequeant, et antequam victi ſint fugere cogantur. Inaudita vero ſcelera nec mulcta tantum, ſed ſanguine expianda! Sed convertite vltrices gladios etiam aduerſus eos imperatores, qui arces, quas vis nulla potuiſſet ad deditionem cogere, famis deſperatione ceperunt. Cur vero ceſſatis? condonatis ſcilicet ea omnia, quoniam a neceſſitatis ſeueritate regebantur, et aliter non poterant vincere, niſi ita viciſſent. Itaque vos ipſi abſoluiſtis rabulas, quid verbis meis apud eos, ad deprecationem criminis opus eſt, qui ſponte profeſſi ſunt, victoriam a ſola opportunitate dari, nulliſque legibus adſtrictam eſſe.

Sed alio crimine vrgetis innocentes et nihil tale meritos homines, quod iis tanto plus inuidiae affert, quanto maius periculum imminere publicae ſecuritati clamitetis. Leges omnes euerti, poenarum minas euaneſcere, ſceleribus et flagitiis aditum patefactum videri a rabulis, aitis; quo modo vero? Defendunt enim meritos a ſuppliciorum atrocitate, efficiuntque calumniis

mniis, vt homicidia et adulteria et furta impunita perpetrentur. Miror impudentiam veſtram, accuſatores, qui quod laudem merebatur, in innocentiae opprobrium tam artificioſe conuertitis. Igitur inauditi condemnandi ſunt, qui in moleſtam flagitiorum ſuſpicionem forte immeriti inciderunt! Itane falſi et inepti doctores ſint, qui centum potius ſceleſtiſſimos homines a meritis poenis liberandos, quam vnum nil tale meritum, ſuppliciorum iniuria opprimendum eſſe, praecipiant. Mergi itaque potius in ſuſpicionum et quaeſtionum turbines delapſos, quam extrahi et ſeruari vultis. Obdurate igitur aures veſtras omnes, qui nominis honeſtatem integram retinere cupitis, eiurate humanitatem et miſerationem, moleſtae hae vobis virtutes futurae ſunt, imo exitiales. Nam quid aliud obiicitur meis, quam eos nimis humanos fuiſſe, et miſeratione eos proſecutos eſſe, quos aliorum crudelitas duriſſimis ſuppliciis deſtinauerat. Qui enim putantur criminum culpam contraxiſſe, aut confitentur male facta, aut negant. Illos

fruſtra defendes, niſi ipſae leges, aetati vel furori indulgeant, aut iudices precibus expugnentur, hos indefenſos condemnare nemo poteſt. Si quis vero cogitet, quam magnum ſit, de vita hominis ſtatuere, quam falſae ſuſpiciones etiam aduerſus optime de republica meritos ciues commotae fuerint, is ſane laudandos et proemiis excitandos potius rabulas, quam accuſandos exiſtimaverit, quod ſumma cura ac diligentia ſtudeant cauere, ne puniantur ii, de quibus non conſtat an malefactis poenas meruerint. Enimuero fraudibus eam in rem vtuntur. Atque hoc vobis tantopere diſplicet. Sed quis fraude non vtitur? Et nonne magis humanum eſt fraudibus vti ad ſeruandos homines, quam ad augendam rem familiarem nominiſque famam?

Sed audio vos, accuſatores, nouo clamore verborum ambiguitatem exprobrare rabulis, qua in contractibus, teſtamentis ceteriſque negotiis, quibus adhibeantur, eo conſilio vtantur, vt capere incautos, et lites creare in vtilitatem ſuam poſſint. Enim-

Enimuero ea prouidentia, quae a claris et perſpicuis verbis abſtinere et iis vti iubet, quae interpretationis noſtrae ſalubritate torqueri ita poſſint, vt ſine poenae damnive metu, nos ſubducere promiſſorum ſervandorum officio, alterum vero quocum pacti ſumus, ad praeſtanda, quae nobis commoda futura ſunt, inuitum quoque adigere queamus; ea, inquam, prouidentia e publicarum rerum vſu petita eſt, ac magnam in ſe prudentiae et vtilitatis commendationem habet. Libertatis hoc ſtudium eſt, quod omnibus a Natura hominibus inditum eſt. Non enim fruſtra orationis tanta inconſtantia delectantur, ſed quod in ea ad libertatem tuendam firmum praeſidium inueniſſe merito arbitrantur. Is enim, qui claris et perſpicuis verbis promittit, eam ſibi imponit neceſſitatem, vt deinde velit nolitue, ad praeſtanda promiſſa queat adigi. Perdidit igitur libertatem, quae in ea faciendi et non faciendi, quae velis, facultate ſita eſt. Quam ſi verborum quodam artificio laudabili ſeruare clientibus ſuis ſtudeant, in quo peccare videantur.

Hoc-

Hoccine tam turpe facinus reputetur, ſi quis e ſeruitute proclamantem in libertatem vindicauerit?

Sed porro accuſatis eoſdem, quod iuris iurandi ſanctitatem et ipſi contemnant, et clientes ad periuria compellant. Nec diffiteor, Auditores, me primo, quid huic calumniae reponerem ignarum, haeſiſſe, ſed ab illa turpiſſima oratori obmuteſcendi neceſſitate rabularum dominae et patronae prouidentia me liberauit. Quae iterum ad me venit meque ſic allocuta eſt: "Itane „credis in tanta litterarum luce aliquem fu„turum, qui Theologorum de iurisiurandi „violati religione ac poenis ſomnia metuat, „aut periurii reuerentia moueatur. Mitte „potius hanc totam partem accuſationis, „quae ſolius plebis ſuperſtitioni debetur et „ſine auctore fertur. Nam profecto, quanto „quis magis velit politus haberi et elegans, „tanto minorem rerum diuinarum curam „prae ſe ferre debet. Propter hos ſeculi mo„res, noli clientibus tuis ab hoc crimine ti„mere, nihil eodem accuſatores proficient,

nisi

„niſi vt ipſi ſuperſtitionis nomine ridiculi „videantur." Obſequar ergo rabularum patronae, nec verbum vnum ad defenſionem clientum addam.

Nunc vero, bone Cicero! paucis te volo. Aſcende igitur e Plutoniis regnis, nam voco te in ius, vos omnes Auditores anteſtor, atque te ire oportet. Nam tu profecto primus, diſcendi quamdam feſtinationem clientibus meis exprobraſti, iisque, quod cruda ſtudia in forum propellerent, rabularum inuidioſum nomen indidiſti. Sed liberatus eſto, propter temporum tuorum ſtuporem et ruſticitatem, quibus forte magis, quam tibi, tam inciuile edictum debetur. Vos vero tam anicularis ſuperſtitionis pudeat, qui noſtro, id eſt elegantiſſimo, ſeculo, tam inſulſam fatuamque cramben recoquitis. Nunquam igitur reſipiſcere velitis, poſtquam ſcholaſtici quidam, id eſt turgidi et vani homines, vos inſtitutione ſua ad ſtultiſſimam antiquitatis admirationem, rerumque noſtrarum contemtum, perduxerunt. Veterum igitur

cir-

circuitiones et ambages magis vobis probantur, quam tutiſſimum breuiſſimumque ad gloriam iter noſtrorum. Ante duo fere ſeculorum millia eum homines imbiberant errorem, vt diſcendi neque finem per totam vitam dari, aut artis vnius doctrinam ſine omnium litterarum ſocietate contingere arbitrarentur. Quo errore cum deceptus eſſet, Quinctilianus Rhetor vbi, qualis eſſe futurus orator debeat, docet, non hominis mortale ingenium, ſed numinis diuinam mentem deſcripſiſſe videtur. Eloquentia vero et Iuriſprudentia nominibus tantum vſque ad ea tempora diuerſae fuerunt, quibus, tranſlatis e ſole in vmbram iudiciis, iureconſulti ad medicorum ſimilitudinem obmutuerunt. Quis vero non videt, diſciplinam eius generis hominum, quibus Quinctilianus annumerandus eſt, ad oſtentationem, neutiquam vero ad vſum, comparatam eſſe. Atque huius quidem leuiſſimae gloriolae contemtus, tam atrox crimen habeatur, propter quod humanitatis miſerationiſque voce aduocati ad res gerendas cauſaſque orandas properantes, rabulae tam inſidioſis

ac-

accuſationibus vexandi ſint? Sed ſunt eae ſine dubio profectae ab iis, qui omnibus artis praeceptis et legibus imbuti, non potuerunt eo peruenire, vt exercere faciendo eamdem poſſent. Tales deinde maximopere grauantur, quando videant, eos, qui nunquam eruditionem ſuam iactarent, res facilius perficere, quas ipſi omni ſua eruditione non poſſent. Vt igitur, et ſuae impotentiae excuſationem inuenire, et ſimul obruere maledictis eos poſſent, facilius, a quibus ſe ſuperari non ſine dolore ſentiant, hos temerarios vocant, qui ſe ſine doctrina ad faciendum contuliſſent. Sed quis tam hebes eſt, quin hoc opprobrium magis ab inuidia inuentum, quam veritatis amore dictum aut repetitum videat. In artibus enim pleriſque ita ſolet accidere, vt alii earum ſcientia extumeſcant, alii exercitatione earumdem proſint, in paucis ſcientia et facta coniungantur. Non enim ſemper Rhetores bonos, id eſt eloquentiae praeceptis et legibus familiariſſimos, probabiles quoque oratores eſſe, ita notum eſt, Auditores, vt commemoratione opus eſſe non putem.

Ma-

Manifeſtum quoque eſt, a Philoſophiae et praeſertim Ethicae legibus de vita regenda, rei familiaris cura, morum ſanctitate et ſimilibus rebus, fere plerumque quam maxime recedere, qui profeſſione ſua velint philoſophi haberi. Videtis itaque, Auditores, hoc iuriſprudentiae, cum omnibus reliquis artibus commune eſſe, vt alii eius ſcientia delectentur, alii contra eam faciendo illuſtrent. Hinc neſcio, quid accuſatores poſſit ad eam iniquitatem compellere, vt id, quod in aliis artibus ſine iniuria ſciant fieri, in iuriſprudentia nolint admittere. Nam profecto, niſi vehementer fallor, duplex iter ad omnes artes patet, alterum longum, aſperum, et moleſtum, quod per praecepta et diſciplinam eorum, qui doctores cuiuſque artis ſunt, ineatur, alterum breve, facile, et iucundum, quod ſine comite ipſe experiundo poſſis ſuſcipere. Illud per ambages ducit, hoc recta procedit, illud ad laudis vanitatem, hoc ad vtilitatem reipublicae tendit.

Sed reſtat tertia pars accuſationis, quae impudentiae crimine noſtros premit. Aitis

truculentiam et arrogantiam in vultibus noſtrorum expreſſam videri: clamore eoſdem iudicum aures obtundere: verbis minime honeſtis vti. Enimuero, Auditores, vereor ne riſum vobis moueant tam acres morum cenſores, qui impudentiam ferre non poſſunt. Nam noſtis profecto cuique hominum generi proprios mores eſſe, ad quos ſe ſtatim debeat componere, quicunque agnoſci ab aliis quoque velit. Sic, quando quis fidelium gregis paſtor conſtitutus eſt, ſtatim eum videas omni opere elaborare, vt toto corpore pius et humanus videatur. Sit vehemens, iracundus, turgidus, friuolus, parum curabit, ſi modo hoc vnum conſecutus ſit, vt, qui eum in publico procedentem viderint, putent humaniſſimum, liberaliſſimum et maxime aequabilem virum videre. Medici, acceptis ſummis honoribus artis ſalutaris, ſtatim plateas incipiunt percurſitare, etſi nemo ſit, qui vitam ſuam eorum experientiae deuouerit. Iudices volunt ſeueritatem vultu et oculis prodere. Philoſophi imitantur riſum Democriti et rerum humanarum contemtum.

Mathematici ſemper tenebricoſi incedunt, milites iurant et clamant, vt fortes videantur, quamuis hoſtium aſpectu trepident.

Num igitur pluribus exemplis opus ſit, vt vobis perſuadeatis, mores artificum et ipſas artes eodem modo differre. Quod ſi verum eſt, quid reprehenditis rabulas, qui ſub ſignis Themidis militantes militares mores, militarem orationem, militarem habitum imitantur. Num aliter poſſunt aut debent?

Videtis itaque, Auditores, qualia ſint crimina, quorum cauſa rabulae exules in ipſa patria et extorres viuere debuerunt, quorum cauſa condemnati, ſpreti et infamia notati fuerunt, quorum cauſa ludibrio plebis expoſiti et ab omnibus vitae commoditatibus excluſi fuerunt. Eane tanta ſint, vt hac poenarum atrocitate ad ea coercenda opus eſſet? Video vos mea oratione liquefactos eſſe, auditores, et lacrimas ex oculis veſtris tanquam gratiſſimos victoriae meae praecones prodire. Hoc ſigno veſtram humanitatem agnoſco, his humaniſſimis lacrimis reos meos abſoluitis.

Dixi.

PRO

PRO IVRECONSVLTIS

QVI LITTERAS HVMANIORES CONTEMNVNT

AD VIRVM CONSVLTISSIMVM

IOH. AVGVSTVM BACHIVM

CVM SVMMOS IVRIS HONORES

A. C. N. CIↃIↃCCL. ACCEPISSET

EPISTOLA

IOH. AVGVSTO BACHIO V. C
S. D. P
FRIDER. PLATNER

Etſi tantum TIBI debeo, VIR CONSVLTISSIME, et propter ſingularem TVAM in me humanitatem atque benevolentiam, et propter diſciplinae TVAE fructus, vt, quicquid TIBI contigerit, mihimet ipſi contigiſſe putem; tamen non poſſum diffiteri, eſſe aliquid, quod hoc diei TVI gaudium liquidum me percipere non ſinat. Etenim, ſentio quotidie magis, in quantum ego ſim, TE auctore, inductus errorem, ſentio, quam perditum ſit tempus, quod e ratione TVA litteris quibusdam diſcendis tribui.

Memini enim, TE, cum videres, me velle iuri cognoſcendo operam impendere, hortari me vehementer, vt litteris humanioribus bene mihi viam munirem, ſine quibus aditum nullum ad veram iuriſpru-

dentiam dari, aiebas. Me vero iam dudum huius erroris et diſciplinae TVAE poenituit, poſtquàm me tempus, quod collocari melius poterat, intellexi perdidiſſe. Quam ob cauſam et ipſe ab illa mihi per TE demonſtrata via deceſſi et in animum induxi, TE quoque, ſi poſſem, ab ea opinione auertere. Nullus autem mihi magis opportunus viſus eſt, quam hodiernus dies, quo TE, propter nouum honoris TVI augmentum, faciliorem fore, exiſtimabam.

Scis, VIR CONSVLTISSIME, tres eſſe iureconſultorum familias, quae natura ſua et placitis plane ſint diuerſae. Quarum prima quidem eorum eſt, qui multa plane inutilia atque ſuperuacanea iuriſprudentiae annectunt, atque ſine litteris humanioribus, id eſt ſine maxima linguarum, rituum, hiſtoriae et iuris Graecorum Romanorumque cognitione neminem in iurisprudentia recte verſari poſſe exiſtiment, in quorum TV, VIR CONSVLTISSIME, numero vt eſſes, ſemper ſtudioſiſſime elaboraſti.

Se-

Secunda deinde eſt eorum, qui, vel occaſione vel voluntate deſtituti, tam moleſtum ad iuriſprudentiam iter nunquam conati ſunt inſtituere, ſed breuiore via cauſis ſcilicet orandis et iudicandis ad iuriſconſultorum nomen peruenerunt, qui, cum mediam amplectantur ſententiam, miſcelliones et Herciſcundi poſſent vocari, cum nec, quae ignorent, contemnant, nec eorum pertinaciam, qui longioribus ambagibus ſe paſſi ſunt iactari, accuſent.

Tertia (*) tandem eſt eorum, qui, recte perſpicientes, iuris ſcientiam omnem ad iuris dicendi et cauſarum agendarum facultatem comparatam, eamque in iuris hodierni arctis limitibus continendam eſſe, non ſolum has litteras non didicerunt, verum gloriolae eius puſillae vanitatem alte deſpicientes, exſtirpare atque eradicare ſapientiſſime volunt.

(*) Vid. AMMIANVM MARCELLINVM L. XXX, c. 4. in editione IACOBI GRONOVII Amſtel. 1693. fol. pag. 654.

Solent vero hoc tertium, maxime iureconſultorum genus, TVI ordinis homines, vehementer ridere, atque traducere. Quam ob rem ego, qui ad eorum caſtra tranſii et ſatis in praeſenti commilitonum meorum excellentem praeſtantiam perſpicio, amore veritatis victus, eos defendere ita inſtitui, vt ſingula, quae vos iureconſulto neceſſaria putetis, longe amouenda eſſe doceam; TEque, ſi poſſim, noſtris piis, caſtis et vtiliſſimis coetibus adducam.

Primo quidem id VOS, qui humaniorum iureconſultorum vegrande nomen VOBIS ſumitis, ſoletis vehementer flagitare, vt rite quis linguam vtramque, tam Graecam, quam Latinam, et quidem ita intelligat, vt et Graeci Romanique iuris reliquias, quae a TRIBVNIANO et qui poſt eum vixerunt conſeruatae dicam, an deprauatae, ſunt, poſſit explicare, atque temporis diuturnitate vel hominum temeritate corruptas reſtituere poſſit.

At

At hoc quidem dudum fuit expeditum atque obſeruatum, eas linguas, quae ab iis, qui maturiorem aetatem attigerunt, ſine vllo damno poſſunt obliuioni committi, pueris eo tantum conſilio tradi diſcendas, vt labori aſſueſiant. Atque multi etiam hodie iure quodam ſuo aegre ferunt, quod eam moleſtiam linguarum exterarum diſcendarum videant popularibus ſuis pueris a turgidulis quibusdam magiſtellis imponi. Nam etſi per annos multos ad raucitatem vſque ſtentoreas voces intenderunt, non tamen potuerunt colla Germana, id eſt, libera e Latina Graecaque ſeruitute vindicare, et puerorum terga ferulae Latinae doloribus eximere. Tam difficile eſt errorem vincere diuturnum. Sed vt ad iureconſultos redeamus, quid tandem iis, qui in iure dicendo, vel in cauſis agendis, occupantur, linguae vtriuſque intima cognitio afferet vtilitatis? In Germania verſamur, Germanice igitur dicendum eſt. Quid quaeſo aliud eſt in varietate linguarum, praeter inſignem aliquam oſtentationem, poſitum? Volunt enim tantum ab iis, qui

qui myſteriis ſunt initiati, intelligi, profanis oracula canere.

Olim apud Romanos, ſi recte memini, alia erat cauſa, cur Latina vterentur lingua, ſcilicet, quod vernacula et communis Romanorum eſſet. Nos vero cur Latina vtamur, eaque obſoleta, et a nullo noſtri temporis populo vſitata?

At video ſane me nihil contra tot ſeculorum conſuetudinem meis rationibus effecturum eſſe. Vtimini ergo lingua Latina, at Latina hodierna, id eſt, facili, multis nouis verbis aucta, per tot ſecula immutata, et aliquantum a priſca illa recedente. Ridebis ſane, me hoc TIBI, MORIS ET LINGVAE ROMANORVM TENACISSIMO, perſuadere velle. At age, CONSVTISSIME BACHI, age dic, cur hoc tantum tam curioſe caueamus, ne verbulum ſermoni noſtri immiſceamus, a CICERONE, vel alio quodam vetere eiuſmodi ſcriptore ignoratum, ne alio modo dictionibus vtamur, quam vſi ſunt ii, qui Roma florente

rente vixerunt, atque, vt nunquam aliter, vel dicamus, vel ſcribamus, quam ſecundum leges a LANGIO, CELLARIO, SCHMIDIO, WELLERO, aliiſque ſexcentis eiuſmodi ARISTARCHIS propoſitas. Quid quaeſo eſt, quod nos his obſequi cogat? quod nos impediat, quo minus leges iſtas duriſſimas, moleſtiſſimas, et ſaepe iam iure exſecratas, transgrediamur. Quis eſt, qui eam inter Grammaticos poteſtatem obtinuit, vt coercere nolentes et inuitos docere poſſit? Liberi ſumus, ſub nullius Grammatici dura et iniqua poteſtate viuimus. Scribamus, vt intelligamus, et vt intelligamur. Etſi aureae aetatis veſtigia in libris noſtris non reperiuntur, quid refert, ſufficit, nos tantum Romanis tribuere, vt litteris eorum in ſcribendo vtamur. Praeſertim cum noſtris temporibus tot res inuentae, tot actiones et iura excogitata ſint, vt nemo in his antiquam illam, quam ſcholaſtici quidam homines vocant, elegantiam, etiam ſi velit, retinere poſſit? niſi et obſcuritatis et iactationis notam ab omnibus artis peritis merito ferre velit.

Sex-

Sexcenta alia poſſem TIBI argumenta contra legem de diſcenda lingua Latina, elegantiaque ſcribendi a TVI ordinis hominibus excogitatam proferre. At videar forte parum, et veritati, et meorum argumentorum ſubtilitati, tribuere, ſi plura addam. Contra vnam tamen eam opinionem VESTRAM aliquid dicendum videtur, ac ſi propterea lingua Latina neceſſaria ſit, eaque carere iureconſultus nequeat, vt tanto facilius iuris antiqui reliquias cognoſcere et explicare poſſit.

Semper hoc fuit intelligentibus riſui, tantam vim tantumque pretium ſtatui iuri Romano. Eſt vero ea quorundam hominum ſimplicitas, vt omnia, modo Romana, magnifaciant, laudent, admirentur. Quis neſcit, eſſe, qui, vaniſſimo ſolius Romani nominis amore inducti, res viliſſimas, atque a Romanis adeo ipſis abiectas, conſeruent, qui omnia ſecundum ingenium Romanorum, ſecundum morem eorum, velint fieri, qui, ſi poſſent, ſutores, ſartores, tonſoreſque efficerent Romanos.

qui-

quibus nihil, niſi, quod antiquitatis Romanae ſpeciem, ſitum, ſqualoremque, habeat, probetur: qui, ſi poſſent vnum templum Dei pagani e ruinis recuperare, pro eo libenter patriam ipſam proderent: qui, ſi CICERONI vitam reddere, atque eum ex vmbris reducere poſſent, omnes SCHNEIDEWINOS, SCACCIAS, STRACHAS, CABALLINOS, CAEPOLLAS, MANGILIOS, GVZMANNOS, BVRGVNDOS, alioſque, hiſce ſimiles, iureconſultos, eorumque immortalia atque frugifera opera, diis inferis conſecrarent: qui vnam LVCRETIAM a mortuis reſuſcitatam, immo vnum eius oſſiculum, omnibus iiſque pulcherrimis noſtri temporis puellis praeferrent. At, ſi interrogentur, qui tanto Romani nominis Romanarumque rerum amore exarſerunt, quid tandem ſit? quid in iis admirentur? nil ſane habeant, quod, praeter vetuſtatem et antiquitatem, laudent. Si itaque ad ius Romanum accedimus, quid in eo eſt tam diuinum atque ſuper humanitatem erectum, quod in aliis aliorum

po-

populorum legibus non reperiatur? Quod, ſi TIBI, LEGVM ROMANARVM PERITISSIME BACHI, vel maxime darem, eſſe leges illas excellentes, immo diuinas, quid amplius? quid ad nos redundabit ex iis vtilitatis? Noſtro iure vtimur, in Germania verſamur, habemus maiorum noſtrorum leges, quae propterea, quod in Germania natae ſunt, nobis longe ſunt vtiliores, et longa obſeruatione tam altas radices egerunt, vt facile exſtirpari non poſſint.

Sunt quidem, vti memini TE dicere, VIR DOCTISSIME, qui omnia inſtituta omneſque leges Germanorum e Romano fonte defluxiſſe putent, et qui propterea leges et iura Romanorum diſcenda exiſtiment, vt tanto facilius origo et progreſſus iuris noſtri poſſit intelligi. At nemo ignorat, a IVSTINIANO ipſo tot fuiſſe, in iis, quae a maioribus accepiſſet, immutata, vt iam ab eo tempore ius Romanum concidiſſe, nouum vero fuiſſe inductum, videatur. Deinde, quid quaeſo tandem

vti-

vtilitatis afferet, haec multo labore et ſtudio quaeſita originum iuris et fatorum cognitio? Scio, multos fuiſſe, qui egregie, hac cognitione cum magna ſui nominis fama, et magna ſectatorum turba, carerent.

Artifices, et ii quidem, qui maxime ab omnibus laudantur, et operum excellentia reliquos longe ſuperant, raro tamen artium ſuarum inuentores, earundemque incrementa ſciunt, et tamen ab omnibus ſuae artis periti cenſentur. Quid tandem eſt, quod in hoc iuris nobiliſſimo artificio hanc moleſtiam iureconſultis imponatis? vt, ſi velint ſuae artis periti haberi, debeant noſſe, vnde ius fuerit noſtrum ad nos perlatum, quas paſſa fuerit iuriſprudentia commutationes, qui in hac arte cognoſcenda vel tradenda cum laude vnquam et nominis fama fuerint verſati.

Etenim, vti hodie multi cum laude artem pictoriam exercent; cum APELLIS et ZEVXIDIS nomina nefando quidem audierint, neque DVRERI, CRONA-

CEI,

CEI, CARACCII, CORREGII, et aliorum illuſtrium nuper pictorum manum intelligant, ita et credo, iureconſultum aliquem bonum, pium, vtilem, et prudentem, eſſe poſſe; etſi neſciat. Leges XII Tabularum e Graecia, legatis eo conſilio miſſis, a Romanis petitas, a Decemuiris vero compoſitas, eſſe: etſi cauſas diſſenſus inter LABEONEM et CAPITONEM ignoret, et legum Romanarum nomina non poſſit recitare, atque VLPIANI, MODESTINI, MARCIANI (*) POMPONII, TREBATII et SCAEVOLAE aetates diſcernere, eorumque vitas, ſcripta, et fragmenta enarrare. Nam hoc quidem eſt manifeſtum, a TRIBVNIANO in ipſis iureconſultorum fragmentis tot eſſe immutata, tot inuerſa, atque innouata, vt magis debeat diuinus ille TRIBVNIANI nexus, quam iureconſulti aetas, liber, ſecta, et Philoſophiae genus, ſpe-

(*) Notat quoſdam MARCELLINVS l. c. immeritos, qui cum MARCIANI nomen audiſſent piſcem crederent.

ſpectari. Si vero anquirendum ſit, quae ex intima hiſtoriae iuris, legum et iuriſc. conſultorum cognitione ad noſtri temporis homines, in iure dicendo, vel orando, verſantes, vtilitas redundare poſſit, nulla ſane erit, niſi haec, quod tempus rebus ludicris, et propter vetuſtatem et inſolentiam ridiculis perdant. Quid? ſi quis omnia legis Papiae Poppaeae capita et omnia ac ſingula eius verba teneat, num vnam actionem de quacunque quotidiana viliſſimaque re motam inſtituere, aut finire poterit? Ii vero, qui hanc imbiberunt opinionem, vt credant, ita iureconſultum oportere, in antiquis iureconſultorum fragmentis, quae IVSTINIANI iuſſu TRIBVNIANVS corraſit, verſari, vt poſſit, ſi opus ſit, loco deprauato (ex ſcriptoris ingenio, temporis ratione, et verbis, quae ſuperſunt,) medelam afferre, et qui propterea Paraphraſin THEOPHILI, et Graecas, quas habemus reliquias legendas putent, vt vel e paraphraſi Inſtitutiones, e Graecis vero Conſtitutionibus, Latinae poſſint explicari et emendari, hi ſane non

vident, quam ardua et difficilis ſit ad iuriſprudentiam hodiernam via, quot formulae, quot cautiones, ſint addiſcendae, quam ſollicite curandum, ne a praeſcriptis verbis recedamus, cum volunt, iureconſultum, luſus et voluptatis cauſa, tam vaſtum et turbulentum antiquitatis mare enavigare.

Quis vero non videt, temerarium eſſe et audax, leges ab aliis ſcriptas, et, vel tempore, vel a TRIBVNIANO, deprauatas, reſtituere velle, nonne emendando et reſtituendo leges nouas ſcribunt? quod quidem plerique iam viderunt, et in CVIACIO, viro e TVA ſententia ſummo, iure reprehenderunt. Abſtinendum itaque eſt ab hac violentia et temeritate, et recepta potius lectio, eaque legitima, eſt retinenda. Tutius enim eſt, centies cum legibus et librariis errare, quam vnam falſam lectionem in textum recipere. Itaque, ſi emendatio tam eſt periculoſa, vt omnibus ſit peſtis inſtar fugienda, cur tantopere eſt elaborandum, vt adminicula, quibus quis feliciter emendare poſſit, ac-

accipiamus. Omne potius tempus perditum et male collocatum videri debet, quod in arte critica conſumitur. Quod eorum perſpici poteſt exemplo, qui multo minori opera et tempore, cum neque Latine ſcribere poſſint et cum laude iuris vetuſti reliquias ignorent, neque vnquam emendationem tentauerint, ſibi non contemnendi homunciones videntur, cum vos, dies noctesque percenſendis, comparandis et emendandis legibus occupati, nihil praeter ea, quam vos multa neſcire, diſcatis. Atqui quid eſt tandem in ſtudiis veſtris litterarum humaniorum, quod inuitare aliquem poſſit? Forte dignitas?

Enimuero neminem puto futurum, quin videat, hodie praeſertim, haſce litteras adeo contemni, vt earum ignoratio laudi ducatur, et irritum ſit, vehementerque abſurdum, ex earum ſcientia laudem ac dignitatem petere. Semper omnino fuit Criticorum nomen intelligentibus et elegantibus hominibus deriſui, cum verba tantum et muſcas venari viderentur. Ita-

que hodie MEVRSIORVM, GRONOVIORVM, GRAEVIORVM, BVRMANNORVM, nomina obſcurata ſunt eorum luce, qui in componendis conſultationibus et hodierni iuris obſeruationibus congerendis, melius tempus ſuum collocarunt.

Si vero ad vtilitatem deſcendat mea oratio, et velimus quaerere, vtri tandem maiorem Reipublicae praeſtent? facile atque expeditum erit, iis hanc laudem deberi, qui has nugas contemnunt, et factis pulcherrimis exercentur. Nam cum omnis veteris iuriſprudentiae cognitio plane ſit hiſtorica, et nihil noſtri aeui hominibus, vel in iudicando, vel in cauſis orandis, proſit, quid quaeſo eſt, quam ob rem hodie adhuc tanto ſit labore, tantoque impetu, addiſcenda? Videmus enim eos, qui hiſce humanioribus iuriſprudentiae litteris ſe dederunt, ſuper omnibus actionum, cautionum, contractuum, teſtamentorumque formulis nihil dicere, vt propterea veriſimile ſit, eos tam ſubtiles res diſcere non potuiſſe.

Itaque hi, qui a litteris TVIS, TIBI tam caris, ſunt remoti, e republica iuſtitiam adminiſtrant atque ſalutem ciuium curant, cum VOS, cum omnibus VESTRIS emendationibus, receptis lectionibus, grammaticis obſeruationibus, et interpretationibus, omnia longe, quam antea fuerant, incertiora reddatis.

Cum vero tam futiles ſint et contemtae hae, quae humanitatis nomen habent, litterae, quid tandem eſt, quod TE, CONSVLTISSIME BACHI, tantopere in iis detineat, cum neque fama doctrinae, neque laus et honor, ex iis peti poſſit? Mitte quaeſo has inanes litteras, meliora, et commodiora, et quae huius ſunt ſeculi, et diſce, et trade. Videbis ſic et TIBI, et rebus TVIS, optime conſultum eſſe. Nam, ſi permanſeris in hac haereſi, idem ſaepe TIBI accidet, quod aegerrime tuliſſe dicitur IACOBVS CVIACIVS. Etenim cum ille et STEPHANVS FORCATVLVS eodem tempore a Senatu Toloſano iuris publicam Profeſſionem peterent, FORCATVLVS ei ſapienter fuit a pruden-

tiſſimis hominibus praelatus. Et cui tandem hoc debet mirum videri? Etenim non, vti GRAVINA quidam ridicule ſatis iudicauit, ſimia homini, ſed homo vtiliſſimus et forenſi pulueri adſuetus, vaniſſimo viro eſt praelatus.

Ego vero, crede mihi, vehementer gauderem, ſi hac ipſa die, qua Academicos iuris honores accepiſti, animum TVVM mutares. At quomodo hoc potero ſperare ab eo, qui nec precibus, nec lacrimis amicorum potuit moueri, vt e ſcopulis quibus affixus haerebat ſe extrahi pateretur. Felicem me putarem, ſi mihi haec pernicioſae TVAE conſtantiae victoria daretur.

Si vero iam reputes, qui tandem ſint illi litterarum et doctrinae TVAE, (quam omnes ſciunt in hoc iuriſprudentiae genere magnam eſſe;) fructus? Qui tandem erunt? Probaſti ſane, quae edidiſti, viris quibuſdam paucis, in eodem doctrinae genere elaborantibus, ſiue potius ab eodem errore captis: at quid habes praeterea?

Nihil

Nihil ſane, quam, quod ii, qui has litteras humaniores, vel neſciunt, vel potius ignorare volunt, TE ex animi ſententia irrideant, et errare putent. Videſne hoc tempore quendam elegantiorem et nobilioris generis hominem, qui harum litterarum ſtudium cum iuris diſciplina velit coniungere? Quis eſt erectioris animi, quin vehementer illi IACOBO CVIACIO, eiuſque ſectatoribus, ex animo maledicat, qui, inuidiae ſtimulis incitati, et gloriae cupiditate incenſi, BALDI et BARTOLI rationem auſi ſunt reprehendere, nouam monſtrantes viam ad iuriſprudentiam, at moleſtam, difficilem, horridam, et a noſtris temporibus alienam. Illa vero antiquorum iureconſultorum ratio interpretandi magis maſcula erat, et noſtrorum hominum ingeniis accomodata, cum de rebus magis eſſent ſolliciti, verba vero, eorumque muliebrem venuſtatem viriliter negligerent, neque adeo aegre ferrent, ſi quando cum hiſtoria et verborum ratione interpretatio eorum diceretur pugnare. At tunc ille inimicus verae et vtilis iuris-

prudentiae IACOBVS CVIACIVS, nominis captandi cauſa, nouas iureconſultis leges ſcripſit, duriores eas et omnes fere hominum vires excedentes. Subſequenti tempore, cum adhuc ſupereſſet magna Cuiacianorum diſcipulorum turba, error CVIACII magis fuit horum miniſterio propagatus, contemtique omnes, qui ante CVIACIVM vixerant, iureconſulti, ita, vt infame fere Bartolinorum videretur nomen. Nunc vero priſtina facies iuriſprudentiae reddita videtur, eorum beneficio, qui BARTOLI diſciplinam exulem per aliquot ſecula in veterem ſedem reſtituerunt. Quod humanum ſine dubio bonumque factum exiſtimandum eſt, cum ſimul reddita libertas iis omnibus videatur, qui in duriſſima ſeruitute litterarum ludicrarum a CVIACII aemulis habebantur, nunc vero, ſui iuris facti omnem antiquitatis ſqualorem poterunt eluere.

Quid quaeſo iam TV facies? Nonne times, a noſtri ſeculi iureconſultis TE oppreſſum iri? Age vero, relinque CVIACIVM, DVARENVM, AVGVSTINVM, GOTHO-

FRE-

FREDOS, DONELLVM, VOETIVM, NOODTIVM, BRVMMERVM, WESTENBERGIVM, BYNCKERSHOECKIVM, GEBAVERVM, WIELINGIVM, RVCKERVM, MAIANSIVM MERMANNVM, RITTERVM; BARTOLO potius, BALDO, CAMPEGIO, BVTRIGARIO, ROGERIO, DIPLOVATARIO, PHANVCCIO, et horum ſectatoribus, ſubſcribe. Videbis quanta hac opinionis TVAE immutatione, rebus TVIS ſint emolumenta acceſſura. Abiice GRAEVIORVM, GRONOVIORVM, CASAVBONORVM, PERIZONIORVM, CHRISTIORVM, GESNERORVM ERNESTIORVMque ſcripta et in auctores veteres commentarios, et potius SINCERVM, GOTTSCHLINGIVM, IVNCKERVM, MINELLIVM et FAVONIOS iſtos Minellianos perlege. Abiice CICERONEM, LIVIVM, HERODOTVM, et, quem ipſum TVA opera exornaſti, XENOPHONTEM, et potius TRACTATVM TRACTATVVM diligenti manu tracta. Sic omnes TE iureconſultum ad

mores ſeculi compoſitum exiſtimabunt. Sic adnabunt thunni, et cetaria creſcent (*).

Haec vero ſufficiant in praeſens dixiſſe. Vſus ſum, vt opinor, iis argumentis, quibus Orpheus lapides aeque facile, quam cantu, ad ſaltandum permouiſſet. Quid ergo pluribus in re manifeſta opus ſit? Atque, ſi plura adderem, poſſem ipſe videri, parum fiduciae in eorum pondere argumentorum collocare, quibus alios, et praeſertim TE, VIR DOCTISSIME, velim a grauiſſimo errore abducere. Mitto igitur omnia, quibus defenſionem meam ornare poſſem, ſatis me felicem exiſtimabo, ſi TIBI perſuaſero, TE hactenus in ea via proceſſiſſe aliosque duxiſſe, in qua non laudis, ſed contemtus, non diuitiarum, ſed inopiae, non honorum ſpes, ſed repulſae terrores VOBIS immineant. Sic vale, nouiſque honoribus, quos hodie ſuſcepiſti, feliciter vtere. Vale.

Scribebam Lipſiae, a. d. XXIIII Septembris, A. C. N. CIↃIↃCCL.

(*) Vide HORATIVM Lib. II. Sat. 5. v. 44.

ELO-

ELOQVENTIAE MAVRITANAE

SPECIMEN

BONI EXORDII EXEMPLAR

Sub finem ſeculi decimi tertii, poſtquam Sanctius Caſtiliae et Legionis regnum iniuria occupauerat, Chriſtianos, duce eodem Sanctio, cum Mauris in Murcia cruentum bellum geſſiſſe perhibent. Primos vero Mauros, belli ſatietate ſaguiniſque profuſi taedio permotos, de pace cogitaſſe, eiuſque a rege Chriſtiano petendae cauſa, oratorem ablegaſſe, eloquentiae fama inter Mauros eminentem. Quem ſolemni pompa ad Sanctium adductum, ſic eundem allocutum eſſe, Franciſcus de Vallez in Originibus Murciae, auctor eſt.

„Deos noſtros, Rex inuictiſſime, nos, „ante quam Tibi bellum indiceremus, mo„nuiſſe, iam olim ſuſpicabamur, nunc in„felici eius exitu, proh dolor, certi ſci„mus. Nolo enim commemorare, quot „portentis, prodigiis et monſtris nos terre„re, et a bello auocare voluerunt; nam, „quid haec ad Te? Rex inuictiſſime, qui

igno-

„ignoras deorum noſtrorum in nos indul-
„gentiam. Nec commemorabo Elephan-
„torum regiorum principem, quem rex
„magis, quam poetam aulicum amabat,
„eodem die, quo caſtra deſcriberentur,
„praematura morte occubuiſſe. Nam,
„quid hoc ad Te? Rex inuictiſſime, qui hu-
„ius Elephanti ſpeciem ignoras. Non com-
„memorabo pluuiam lapidum e caelo demiſ-
„ſam, primarium ſacerdotem tam vehe-
„menti ictu affeciſſe, vt totus quantus eſ-
„ſet, exanimis humi procumberet. Nec
„magis commemorabo in eiusdem capite
„a pollinctorum familia nullum cerebrum
„inuentum eſſe; nam, quid hoc ad Te?
„Rex inuictiſſime, qui ignoras capitis hu-
„ius magnitudinem. Non commemorabo
„Rex inuictiſſime, eodem tempore, quo
„vobis obuiam iremus, cunctos magos no-
„ſtros (*) ad ſanitatem concordiamque re-
„diiſſe, quid enim haec ad Te, Rex in-
„uictiſſime? qui horum hominum alterca-
„tiones et pugnandi licentiam ignoras.
„Non

(*) Philoſophos.

„Non commerabo cauſidicos noſtros, „famelicis vrſis magis vlulantes, apud iu- „dices, ouium inſtar, obmutuiſſe, nam „quid hoc ad Te? Rex inuictiſſime, qui „horum hominum ignoras clamores. Non „commemorabo, Rex inuictiſſime, ante „quam exercitus caſtra occupaſſet, omnes „fere puellas, duodecimo anno maiores nu- „mero decem millium, ante regis noſtri pe- „des prouolutas, virginum pudicum nomen „deprecatas eſſe, et timentes, ne, imme- „riti nominis affectatione, deos iratos red- „derent, ingenue culpam amiſſae virgini- „tatis confiteri, quam deorum poenas ſub- „ire maluiſſe. Nam quid hoc ad Te? Rex „inuictiſſime, qui ignoras puellarum no- „ſtrarum facilitatem."

Ad eum modum dicunt per tres horas legatum de iis diſſeruiſſe, de quibus ipſe negaſſet ſe verba facturum eſſe. Et forte nondum dicendi finem feciſſet, niſi eum lo-

coqui, qui cibis, ab ea orationis longitudine, periculum imminere videbant, monuiſſent. Quo facto, ſic quatuor verbis omne id, cuius cauſa venerat, elocutus eſt. "Pacem oramus, Rex inuictiſſime".

Num vero multi inter nos aliter?

SVPER

SVPER FIDVCIA VIRIVM

AD VIRVM CLARIS

HENO. CHRIST. AVG OTHONEM

ARTIVM MAGISTRVM NOVELLVM

EPISTOLA

HENOCO CHRISTI. AVG. OTHONI
S. P. D
FRIDERICVS PLATNER

Cum mihi nunciaſſes, Vir Clariſſime, Te Ampliſſimo Philoſophorum ordini, ita Tuum ingenium doctrinamque approbaſſe, vt Tibi Magiſterii honores decernerent; ego quidem, vti pro meo erga Te animo debebam, non ſolum gauiſus ſum, quod meritorum praemiorum ornamentum Tibi imponi videbam, ſed memor fidei olim apud Te interpoſitae eam conſtitui liberare. Etſi autem hoc tempore aliis, quae Tu ipſe noſti, negotiis diſtineor, nolui tamen committere, vt me, vel officii neglegentem, vel pacti olim Tecum initi parum tenacem, iure quodam Tuo poſſes exiſtimare.

Conſtitui itaque ad Te hanc exarare potius, quam ſcribere epiſtolam, quae, etſi

ſecula potuiſſent placere, nunc vero moribus immutatis ridiculi videntur.

Tales vero virium volunt rationem haberi, nec maius onus ſuſcipi, quam cui Perferendo pares ſint humeri noſtri futuri. Sed, quam inciuile et iniquum edictum proponunt? Ignorant ſcilicet, noſtra aetate ad laudem gloriamque, non doctrina ipſa, ſed ſpecie doctrinae opus, non in eo elaborandum eſſe, vt magni ſimus, ſed, vt tales videamur.

Quot, quaeſo, inter populares noſtros haberemus poetas, ſi ii omnes debuiſſent ab ea arte abſtinere, quos Naturae vox non videbatur aduccaſſe. Haberemus ſane Hallerum, Gellertum, Hagedornum, Creuzium, Schlegelium, Kaeſtnerum, Klopſtoeum, Leſſingium, Gleimium, ſed quanta multitudine verſuum et Rhythmorum careremus? Quot magna et voluminoſa nomina nunquam exaudiviſſemus, niſi ad hos, quorum ſupra nomina

mina poſita ſunt, alioſque his propemodum ſimiles, ſed paucos, acceſſiſſet turba cantorum, qui ſtantes vno in pede centum millia verſuum proiecerunt, quos non Natura, ſed fiducia, non ars et exercitatio, ſed cibos poſcere ſolitus ventriculus, et manus, quouis Britannico equo celerius cogitantes, artem poeticam docuerunt.

Quot oratores futuri eſſent, aut quibus ſolatiis plebecula et aniculae affici poſſent, ſi omnes ii ſe venales proſtituere noluiſſent, qui id eloquentiae faſtigium attingere non potuerunt, ad quod Moshemius, Ieruſalemus, Ioecherus, Cramerus, et ſex forte alii, adſcenderunt. At ii, poſtquam viderunt ſe bonitate nunquam placere poſſe, multitudine declamationum hanc ſupplere anniſi ſunt, tantumque orationum cumulum exſtruxerunt, vt qui numero verborum magis, quam pondere moueatur, oratorum iis nomen facile putet concedendum.

Philoſophi vero, quot poſt Leibnitium? -- Ohe! quid vis impudens, qui collum contorques? viſne me interficere? Rogas putemne Leibnitium fuiſſe Philoſophum? Mitte me! quaeſo, dicam quod vis, mitte! affirmabo et negabo prout iuſſeris. Ille vero; Tune Leibnitium appellaueris Philoſophum, qui nihil praeter hiſtoriam memoria tenebat? Recte, habes confitentem reum, debuiſſet ſe in hiſtoriarum campis continere, nec veſtra Philoſophorum dumeta et ſenticeta adire. Tandem liberatus ſum! Valete Philoſophi, nunquam in poſterum, hoc uno verbo in vitae periculum inductus, ad vos redibo.

His exemplis, Otho, Vir Clariſſime, intelliges, gloriam hac aetate non concedi, ſed ſumi, et adeo quemque, quo corpore valentior manibuſque rapacior ſit, tanto certiorem eius accipiundae ſpem concipere poſſe. Neque laudem laturum eſſe, niſi, qui ſui animi fiducia excitatus, eam ſibi ipſi tribuerit. Audendum quid eſt, iuuabit magnis excidiſſe auſis, ridebunt

forte

forte pauci, ſed ſtupens plebecula, et in admirationem prona multitudo tanto altius fortiuſque extollent. Nunquam enim ſtulto, ſtultior ipſo, defuit laudator, et

ad praeſepia debent
Plena coronato ſtare boues capite.

TIBVLLVS

Atque, quod quoſdam videmus in laudatoribus ſuis nimis faſtidioſos eſſe, ac paucorum quorundam intelligentium et gnarorum fauorem ſolum appetere, reliquos vero, et olim ſutorem Apelles, ſpernere, in eo quidem parum debemus prouidentiam eorum laudare. Nam hi pauci elegantes iudices difficiles laudatores exiſtunt, et nunquam, niſi meritos, ſuo applauſu excitant, cum ceteri omnes, ſpecie quoque interdum vana, ad laudem impellantur, alii vero, quibus forte ſtomachus moueretur, donorum et blanditiarum medicina ita poſſint recreari, vt inuiti et repugnantes, mercede tamen conducti,

ſti, non dubitent laudantium choro prae-
einere.

Quibus rebus omnibus me puto, Tibi, Vir Clariſſime, oſtendiſſe, nos operam dare debere, vt, ſumma fiducia virium ſumta, nihil eorum intermittamus, quae ad gloriam vim aliquam habere poſſint.

Atque in munerum ambitione, non debemus reſpicere, an vires noſtrae ſufficiant, an praeeſſe iis ſine publico detrimento poſſimus, ſed eligenda ſunt ea, quae rei familiari augendae ſint maxime accomodata, et redituum fertiliſſima. Talia cum impetu ac obſtinatione extorquenda et eripienda ſunt e manibus eorum, qui concedere talia poſſunt. Errant ſcilicet, qui putent, neminem hominem cordatum aliud munus ſuſcipere poſſe, niſi id, cui par futurus ſit.

Enimuero caueant, ne inepti videantur, qui talia pronunciant; quot in exilium mittere et honoribus ſuis, hac lege, exu-
ere

ere deberent, quibus non publicae rei recte adminiſtrandae ardor, ſed familiaris et domeſticae cura, non propria merita, ſed parentum, non virtutes, ſed diuitiae, non ingenium, ſed dos vxoris; ad quoſuis honores viam patefecerunt.

Quare, ſi quando muneris cuiuſdam volueris compos fieri, noli id dubitanter petere, ſed tamquam Tuis meritis debitum poſcere. Ea ſcilicet Tui ipſius titubatione ſaepe efficies, vt de Tuis meritis quoque alii dubitent, ſin vero fronte ad quamuis impudentiam confirmata, expugnare munera velis, nemo facile audeat haec a Tua violentia defendere.

Et hac ratione, hortor Te, vt in poſterum vtaris, in primis cum noui honores Tibi hoc die acceſſerint, in quibus ipſis debet haec vis eſſe, vt Te publico teſtimonio doctrinae ornatum, putes nouas copias ad vincendam augendamque aliorum de Te opinionem accepiſſe. Opto vero ex animo, vt Tibi omnia ita e voto ſucce-

ſuccedant, vti et ingenium, et doctrina videntur praedicere.

Simul vero puta, me e felicitate Tua, amoriſque erga me Tui conſtantia, maximam ſuavitatem percepturum eſſe. Sic vale, Vir Clariſſime, et meam ſubitariam epiſtolam, cum aliis, qui eam legent, magis officii declarandi, quam ingenii et doctrinae oſtentandae cauſa ſcriptam exiſtima. Dabam in Academia Lipſienſi d. XIII Sept. CIↃIↃCCLV

SVPER VTILITATE

LECTIONIS AVCTORVM CLASSICORVM

AD IVRIS CIVILIS STVDIOSOS

ALLOCVTIO

Si qua res vnquam, Cariſſimi Commilitones, vel vi oppugnata, vel fraudibus et malis artibus petita, vel riſu immoderato exploſa fuit, hoc litteris humanioribus accidiſſe nouimus, quibus tamen, tam ad ſuauitatem nihil iucundius, quam ad vtilitatem nihil magis neceſſarium, excogitari poteſt. Quae quidem calumniae, aduerſus litteras humaniores, non a paucis, iiſque obtuſi ingenii homunculis, ſed, quod mirandum eſt, a pleriſque magni etiam nominis Theologis, Iureconſultis, Medicis et Philoſophis, inuentae et repetitae fuerunt.

Cuius rei ſine dubio vna cauſa haec eſt, quod, qui has litteras contemnerent, a pueritia, ſiue diſcendi occaſionem non habuiſſent, ſiue data vti noluiſſent, deinde adultiores facti, et perſpecta forte earum neceſſitate, nollent confiteri, ſe ignorare ea, quae maxime ſcire, tum eorum ipſo-

ipſorum, tum iuuentutis intererat, quam docere praeter ſpem et meritum ſuum iuſſi erant. Cum autem nulla ſuſpicio poſſit iuuentutis doctori magis moleſta eſſe, quam ignauiae et inſcitiae, nullam breviorem viam putauerunt ad ſuam excuſationem patere, quam, quae per contemtum earum rerum, quas ipſi neſcirent ineatur, et ſic has litteras coeperunt publice priuatimque exagitare, vt earum auctoritatem maledictis ſuis minuerent. Altera deinde cauſa in ipſa hominum ignauia ſita eſt, qua deterriti pauci auſi ſunt, verae doctrinae longiſſimam viam ingredi, ſed exſpatiari potius in quaeuis diuerticula maluerunt.

Et profecto, quid ii, qui doctis hominibus litteras humaniores neceſſarias dicant, quid quaeſo aliud, praeter veram doctrinam commendare velint. Praecipiunt ſcilicet diuinarum rerum interpretibus, linguarum, tam Ebraicae et reliquarum orientis, quam Graecae atque Latinae vſum. Laudant vtilitatem, quae in Patrum

trum eccleſiae et Hiſtoricorum libris proponitur, volunt Theologos quoque eleganter et perſpicue ſcribere, non oracula promere, et anicularum in modum a dicendi ratione et legibus aberrare. Iureconſultos ad origines et fontes legum reducunt, Medicis Celſi latine, et Hippocratis graece legendi neceſſitatem imponunt, et Philoſophis omnem philoſophiae vſum interdicunt, antequam veterum philoſophorum placita cognouerint, et ipſos veterum philoſophorum principes legerint.

Nec negandum eſt, haec omnia multum temporis et adſiduitatis requirere, cum e contrario aliquis facillime et ſine omnibus fere litteris, poſſit eo peruenire, vt e ſuggeſtu verba faciens plebi probetur, vt cum adverſariis de religione decertare, iiſque et ridendi, et calumniandi materiam praebere poſſit. Num vero Moſhemius, Boernerus, Deylingius et reliqui primi ordinis Theologi, iſtis rebus ſolis nominis magnitudinem conſecuti ſunt, nonne ii ea omnia

ſciebant, quae vos putetis tantum a faſtuoſis quibusdam Grammaticis vobis obtrudi?

Quis porro homo tam ſtupidus aut hebes eſt? quin diuturno et longo vſu in iuriſprudentia eo peruenire queat, vt formulas et conſuetudinem fori teneat, ad quam facultatem non pauci litterarum rudes, pediſſequi et ſcribae, progreſſi ſunt. Neque vero quiſpiam ſanus hos putet iureconſultos dicendos, aut iſtam formulariam artem, quam profitentur, veram Iuriſprudentiam eſſe.

Medici vero dogmatici, quo alio ſigno ab Empiricorum grege diſcernuntur, quam, quod hi vſu et temeritate morbos pellere conantur, illi inſtitutione honeſta et diſciplina didicerunt.

Et quam ſalutaris denique talis inſtitutio Philoſophis futura eſſet, quorum videmus multos nouitatem placitorum ſuorum immodice iactare, et vaniſſima gloriola, quam putent ſibi eius nomine debe-

beri, extumeſcere, quam perſpectis veterum philoſophorum placitis facillime poſſent reprimere, in quibus pleraque ſunt, quae nonnulli impudenter affirment, a ſe primum excogitata, et prolata eſſe.

Afferunt ergo hae litterae, quas plerique tam turpiter negligunt, ſummam vtilitatem ad artes reliquas omnes, et quicunque ſua profeſſione docti velint haberi, praeſidia ad veram doctrinam ab iis ſolis petere poſſunt. Poſſunt et earum expertes, ſatis fructuoſa oratione, et plus profuturo exemplo, ruſticos et paganos homines ad pietatem cohortari, poſſunt cauſas probabiliter orare, poſſunt morbis mederi et ad vitae neceſſitatem ſufficienter philoſophari, modo ſe a doctorum hominum nomine contineant. Inprimis autem earum rerum inſcitia turpis eſt his, qui alios docere et erudire volunt. Nam etſi dicant, ſe de his et ſimilibus rebus plane nullam mentionem facere, num ſe propterea exiſtiment ab omni culpa liberaſſe. Quid, quaeſo, dicunt aliud, niſi hoc, nos

neque ea doctrina, neque eo ingenio ſumus, quale habere debent, qui alios velint docere, interea, ne fame pereamus, facimus quantum poſſumus.

Sed ne videar, me aliorum circulis immiſcere velle, a quibus, propter litterarum diverſitatem, debeo ſecedere, nihil dicam de aliarum artium magiſtris, continebo me intra iuris ciuilis limites, ſatiſque me putabo, et muneris rationi, et meae litteris inſerviendi cupiditati feciſſe, ſi vobis, humaniſſimi commilitones, qui verae aliquando iuriſprudentiae operam dare cupitis, hac ad vos inſtituenda oratione, potero perſuadere, lectionem eorum auctorum, quos ſolemus claſſicos vocare, non fructuoſam ſolum, ſed neceſſariam iuris ciuilis ſtudioſo eſſe.

Atque hoc quidem facile patet, ad hominis docti nomen non ſufficere, te artem, quam profiteris, facere poſſe, cum hoc ſolo vſu poſſimus conſequi, eruditio vero, praeter vſum requirat ſcientiam, non ſubitariam, ſed confirmatam, qua adiutus poſ-

ſis

ſis rationem reddere eius, quod a te factum eſt, et per quam demum eo peruenies, vt id, quod feciſti, poſſis ad regulas quaſdam exigere, et, cur ita nec aliter fieri debuerit, iudicare. Iuriſprudentiae autem verae maxima pars, in interpretationis legum iuſtae et accuratae artificio ſita eſt. Quod quidem ſolo vſu nemo poteſt obtinere. Eſt enim ad omnem rectam et curioſam interpretationem iter maxime arduum, idque minime tutum, vt propterea omnibus hoc inſtituentibus, praeſidiis quibuſdam opus ſit, quae a linguarum cognitione et hiſtoria mittuntur. Linguae vero cognitio, quantum ad interpretationem faciat, tum oſtenſum fuit a multis, tum ipſa rei docet natura. Quo enim modo poſſis eandem ſententiam verbis ſcriptoris tribuere, niſi verba ſingula intelligas, linguae praecepta et vſum, coniunctionem teneas. Sine hiſtoria vero, omnis legum interpretatio lubrica et incerta eſt. Hiſtoria enim non ſolum legum ſucceſſionem diſcernit, ſed latorem, tempus, cauſas indicat. Haec omnia vero ab iis auctoribus,

 quos

quos claſſicos dicimus declarantur. Si enim ad origines iuris ciuilis reſpicimus, vnde illud accepimus? a Graecis ſcilicet Romanisque; apud quos populos hoc ius natum, a quibus, toti fere terrarum orbi traditum? ab iiſdem ſane Graecis Romaniſque; quanam lingua illud ius ſcriptum eſt? nonne Graeca atque Latina; a quibus denique maxime illuſtratum eſt? nonne a Graecis Romaniſque interpretibus. In quibus rebus omnibus, cum nulla dubitatio relicta ſit, quam putemus aliam viam, ad iuris ciuilis ſcientiam, patefactam eſſe, niſi hanc, quae per lectionem Graecorum ac Latinorum ſcriptorum initur.

Nam, ſi quis altius ad Romae origines recedat, intelliget ſane Romam ipſam, non modo primas ſcriptas leges, ſed mores fere omnes, linguamque adeo ipſam Graecis debere. Ii vero, qui ritus, conſuetudines, fori rationem, deſcripſerunt, ſunt Graeci ſcriptores, qui ipſis Latinis maiorem curam rerum earum habuerunt, quas, cum ſibi

ipſis

ipſis obſcurae antea fuiſſent, facile poterant praeuidere, extra Romam legentibus, non magis perſpicuas futuras eſſe; cum Romani contra res eas, quas ipſi a prima aetate audiuiſſent, facile tanquam notas nimis, et nulla propterea commemoratione dignas, praetermitterent, quae eorum breuitas hodie adhuc pleriſque et exercitatis in hoc genere viris moleſta eſſe ſolet. Quare, ſi quis velit iuris Romani hiſtoriam cognoſcere, non ſane poterit aut certus vllius rei fieri, ſi tantum iſtis hodiernis ſcriptoribus, ſaepe incurioſis et non ſatis doctis, fidem habeat, aut, ſi malit ex ipſis fontibus haurire, Latine debet Graeceque ita doctus eſſe, vt veterum libros non legere tantum, ſed intelligere poſſit.

Abſoluitur autem iuris ciuilis hiſtoria his fere rebus, primo legum ipſarum, deinde eorum, qui auctores legum fuerunt, porro magiſtratuum, quibus legum cura commiſſa fuit, tandem Iuriſconſultorum, qui leges interpretati ſunt, vſumque in re

praeſente, docuerunt. Quarum quidem rerum omnium notitia, non fruſtra, aut ad oſtentationem, in Iuriſconſulto requiritur, ſed ab ipſa neceſſitate exigitur. Nam cum eae res omnes, non vno alteroue in loco, ſed fere vbique occurrant, hoc ſine dubio verum eſt, ad leges explicandas earum notitiam omnino pertinere: Neque forte tot Iureconſulti lapſi eſſent, ac tot legum diſſenſiones, altercationes, pugnas, immo bella excogitaſſent, niſi ignoraſſent, pleraſque leges habita temporis, prouinciae, magiſtratus, inſcriptionis, ſubſcriptionis, et aliarum rerum, ratione, facillime conciliari potuiſſe. Leges vero, omnia Iuriſconſultorum et Imperatorum in Pandecte et Codice fragmenta, dicimus, non quoniam leges putemus, ſed quoniam vſus ita iubet. Nam Schultingii (*) opinionem ipſa ſana ratio probat, neque nos eam

(*) Vide *Ant. Schultingii* Diſſertationem de *Transactione ſuper controuerſiis, quae ex vltimis voluntatibus proficiſcuntur, etiam non inſpectis tabulis vel cognitis illarum verbis, recte ineunda.* in eius Diſputatt. p. 206.

eam hoc in loco parum opportuno defendamus. Atqui ſi verum eſt, res quas enumerauimus omnes aliquam facultatem ad interpretis munus habere, quis negabit lectionem auctorum claſſicorum maxime fructuoſam bono legum interpreti futuram eſſe?

Nam, ſiue hiſtoriam ſpectemus legum, quot e tenui iſto fragmento Pomponii leges teneremus, libera re publica propoſitas, niſi Liuius, Dionyſius, Dio, Tacitus, Polybius reliquarum mentionem feciſſent. Quot formulas, actiones, cautiones, interdicta, edicta, ignoraremus, niſi iidem aliique haec omnia nobis expoſuiſſent. Quam obſcura nobis pleraque antiqua verba futura eſſent, niſi Gellii, Feſti, Macrobiique diligentia vti poſſemus.

Enimuero audio vos, qui eos ſcriptores nunquam, non dicam legiſtis, ſed oculis veſtris vidiſtis, reponere; hodie lectio talium ſcriptorum, vel tenuem, vel plane nullam vtilitatem allatura eſt, cum quidquid potuit in communem vtilitatem e his deri-

vari, iam dudum, in opera ſua, Cuiacius, Budaeus, Briſſonius, Bynkershoeck et ſimiles congeſſerint; Praeuidebam hoc telum, ſed exitiale non eſt. Nam mihi quidem, indignum docto viro videtur, ſi non e fontibus ipſis, ſed e riuulis impuris et conturbatis hauriat. Quod tamen quidam ita impudenter faciunt, vt quamuis Heineccii antiquitates, et Brunquelli Iuris hiſtoriam placidiſſime deſcribant, docti tamen merito quodam, vt credunt, ſuo, haberi velint. Ac propterea, niſi quis ſimili confidentia ſemper aliorum nunquam ſuis oculis videre velit, debet ſane ex ipſis veterum libris depromere ea, quae ad interpretationis vſum neceſſaria ſunt.

Haec vero vtilitas huius lectionis, etſi per ſe ſatis magna, vnica tamen non eſt, ſed refert quoque multum, ad dicendi ſcribendique elegantiam, quae, cum ad librorum commendationem vtilis, tum ad perſpicuitatem maxime neceſſaria eſt. Etſi vero nos ea aetate viuimus, qua plerique

iſtam

iſtam ſcribendi dicendique exercitationem, negligant, ſunt tamen, quae litterarum felicitas eſt, alii iique magis idonei iudices, qui non ſuo tantum exemplo, ſed praeceptis quoque ſuis, iubent omnes, qui a hominibus legi velint, ab iſto anſerino ſtridore recedere, quo plerique audientium aures contundunt. Dici non poteſt, quam turpis ſit deformitas et ſqualor leges dicendi ignorantium, quando interdum per ipſam neceſſitatem muneris ratione impoſitam, ad Latine ſcribendum adiguntur; quam inconcinna ſit tota oratio, quam inepta ſingula verba, quam inſulſae ſententiae? Quae omnia ſtomachum debent movere eorum, qui praeter oculos naſum habent. Huic vero iam late graſſanti malo poſſumus eorum ſcriptorum lectione mederi, qui non elegantes modo lectores efficiunt, ſed ad imitationem, pulcritudine ſua et praeſtantia, inuitant.

Tandem ipſa lectio ſcriptorum claſſicorum propterea commendari debet, quod non ſolum ad litteras ipſas, ſed etiam ad

animi honeſtatem multum valet. Vti vero ſumma eruditio parum fructuoſa eſt, niſi animus bonus eidem tanquam rector ac comes additus ſit, ita hoc Iuriſconſulti tanto magis indigent, quanto facilius ii, tum a donorum violentia opprimantur, tum a blanditiarum illecebris decipiantur: Vt iis, ob eas fraudes, tanto magis ſalutare futurum ſit, ſi ipſos Ethnicos et paganos homines atque a Chriſti venerando nomine alienos, legerint, non iuriſiurandi ſanctitatem praecepiſſe tantum, ſed Regulum conſtanter conſeruaſſe, quando Brutum in ipſos filios durum, ſed iuſtum ſupplicium ſtatuentem audiuerint, quando Verris turpitudinem et incontinentiam non modo caſtigatam, ſed ab omnibus bonis viris exſecratam fuiſſe, per Ciceronis accuſationem, intellexerint. Quando Stolonem e propria lege condemnatum fuiſſe didicerint. Quae exempla, in liberalibus animis, hanc vim habitura ſunt ſine dubio, vt eos, non modo ſumma ſuauitate afficiant, ſed virtutis ſtudio incendant.

Poſ-

Poſſem denique hanc iſtorum ſcriptorum lectionem hoc nomine praedicare, quod ex iis populis ſint, quorum leges et inſtituta propterea diuturnitatem conſecuta ſunt, quod moderatio et prouidentia, cum iuſta ſeueritate iis ineſſet. Nam Graecorum leges, quas ipſi Romani imitati ſunt, tum a ſapientiſſimis viris, Solone, Lycurgo et Charonda excogitatae fuerunt, tum ea conſtantia conſervatae ſunt, quae integritatis et ſalubritatis certiſſima teſtis haberi debet. Iuriſconſulti vero, non tueri modo et vindicare leges antiquas ab malorum, et improborum hominum temeritate debent, ſed nouis excogitatis metuendo malo occurrere. Cuius quidem legum ferendarum diſciplinae, optimi magiſtri hi, quos laudamus ſcriptores, futuri ſunt, quorum ciuitates legum iuſtitia, ad fortunae et potentiae ſummum faſtigium peruenerant, quorum leges inter pleraſque Europae nationes conſeruantur, et eam vim inter Germanos, id eſt, ſui nominis et rerum ſuarum tenaciſſimos homines habuerunt, vt ſuas leges ſinerent in

de-

deſuetudinem abire, et eius populi inſti-tuta reciperent, cum quo maiores eorum, ſaepe dubio Marte, de imperio decertauerant. Nec putem, hanc legum Romanarum auctoritatem, aetatis eius obſcuritati magis, quam ipſi earum ſapientiae tribuendam eſſe, cuius ſplendorem neque ipſi Pontifices potuerunt ſuis collectionibus minuere, aut exaequare.

Ad lectionem denique horum librorum, qui inſita ſua ſuauitate facile poſſunt ſui cupiditate incendere omnes paullo liberaliores homines, exempla denique tot praeſtantiſſimorum Iureconſultorum debent impellere, qui non minorem curam in legendis his libris, quam in cognoſcendis iuris fragmentis poſuerunt. Nolo longius progredi et nomina ſingulorum enumerare. Quiſquis non ignarus rei librariae eſt, confitebitur, iſtos Auctores noſtros a Iureconſultis non paucis, reſtitutos, ſanatos et illuſtratos eſſe.

Agite itaque, Optimi Commilitones, componite vos ad eorum exempla, habere hunc honorem iſtis ſcriptoribus, quos viven-

TAYLOR INSTITUTION UNIVERSITY OF OXFORD LIBRARY

ventes principes viri dilexerunt, mortuos elegantiſſimi legerunt, vt eos nunquam e manibus veſtris ſeponatis. Nolite vnquam ad eam leuitatem deficere, vt vmbratiles et tenebricoſos nugatores eorum perſpicuitati praeferatis, aut vt vos tantum intra formulariae artis arctiſſimos limites contineatis Eſt haec ad vitae vſum his, qui artem facere cauſis orandis et iudicando velint, neceſſaria, ſed non ſufficit ad iuriſconſulti nomen obtinendum. Date operam hiſtoriae, tum omni, tum praeſertim ei, quae iuris viciſſitudines et origines exponit. Accommodate vos ſubtilitati verae, quae fruſtra in verborum obſcuritate quaeritur. Fugite eos, qui, dum vos a litteris humanioribus abducere conantur, vos excoecare, imo rei ſacrae nocere velle videntur. Nam hoc experientiae ſatis idoneo teſtimonio nouimus, puritatem ſacrorum eo tempore reſtitutam eſſe, quo litterae humaniores maxime florerent, eandemque eo tempore interiiſſe, quo his litteris inter barbaros homines nullum pretium ſtatueretur. Cauete itaque, ne ve-

ſtra

ſtra incuria aut negligentia, res ſacra communis conturbetur, quae ſine dubio culpa tanto grauior futura eſſet, quanto maius dei beneficium, ſacrorum ad priſtinam ſimplicitatem reſtitutione, accepimus. Atque, ſi vti hac cohortatione volueritis, tutiſſimo itinere ad gloriam peruenietis, et iuriſconſultorum honeſtum nomen, probantibus futuris ſeculis, retinebitis.

CENSVS APOLLINARIS

H

In lauto quodam deorum, in conuiuia natorum, prandio, ferunt, Martem bene potum, potentiam ſuam, imprimisque hominum, qui ſuo nutu regantur, immenſum numerum, ſatis militari oratione, iactaſſe. Aiebat, ſuo arbitrio vincere et fugere exercitus, ſe praedas diſtribuere, prouincias dominis eripere, reddere ereptas, ſe regnorum viciſſitudines regere, nec vlli deo, niſi ſoli Ioui, cedere potentia. Nemo deorum auſus eſt comprimere extumeſcentem gloria militem, vel, quod omne cum Marte certamen, etiam verborum, iis periculoſum videretur, vel, quod ſperarent fore, vt e Nectare nata hodie gloria, ſomno cras detumeſceret.

Tandem vnus ſe Marti oppoſuit magnus Apollo, negauitque omnes Martis exercitus numerum exaequare multitudinis poſſe, quae, litteris ſacramento facto, ſua ſigna ſequatur.

Diui Diuaeque, prout aut Marti, aut Apollini, bene cuperent, ſic partes etiam cuiuſque amplexi ſunt. Iuno, dudum adultero Marti infenſa, Phoebo aſſenſa eſt, Venus placide ſubridens Marti annuit. Minerua fauit Apollini, Diana Marti, cui ſe quoque furum praeſes adiunxit Mercurius. Claudus contra deorum miniſter, non immemor iniuriae, quam Mars thalamo intulerat, dextram dedit Phoebo. Tandem finitis in vtramque partem clamoribus, diem, quo conuocatas omnes copias ſuas luſtraret, Apollo conſtituit. Placet hoc omnibus, deae vero, omnis morae impatientes, rogant imberbem deum, blanditiiſque expugnant, ne tam exoptatum inſolentis ſpectaculi diem nimis longe differat. Sic octauus edicitur.

Inter ea Apollo mandata mittit in omnes terrarum prouincias, iubetque, in campis Boeotiae, quos e coelo deiectus paſtor emenſus erat, ſtato die conuenire, omnes, et litterarum ſtudioſos, et opifices ad litteras iuuandas idoneos. Praetendit conven-

ventus cauſam duplicem coronam; doctrinae alteram, alteram modeſtiae, qua ornare binos e turba optime vtroque nomine merentes, conſtituiſſet.

Sed, ait; neſcio quis, nugae ſunt, quae dicis, quomodo intra octiduum tantum viae? Atqui, hoc ego non magis, o bone, ſcio, quam tu ipſe, qui mireris haec, neque vero res noſtra agitur, vt fidem faciamus dictis, ſic ſcilicet accepimus.

Coronarum vero ſpe omnes, qui de litteris recordabantur, vnquam aliquid ab aliis audiuiſſe, commoti ſunt. Plerique ſpe vaniſſima inflati, in tempore capita emetiuntur, vt coronae amplitudinem, qua ad ſe ornandos opus eſſet, praenoſcant, alii libros ſuos, doctrinae teſtes apud Apollinem futuros, recenſent, et ſic collectis ſarcinulis abeunt.

Abiit vero multitudo hominum immenſa. Nam ex aulis abierant poetae, et mimi, et muſici omnes, et de principe quo-

dam Aſiatico rumor eſt, eum coquo cari-turum fuiſſe, ſi hic legere potuiſſet, tanti tunc habebatur in aulis doctrinae commendatio. Quam, bone deus! haec nunc immutata ſunt! vt furere putetur, qui e doctrina laudem petere auſus ſit.

Ex vrbibus exierant Conſules et Senatores, cum ſcribarum grege magniloquo, et medici, et iudices, et ſacra facientes, et librarii, et artifices machinis ſcribentes, et aeris ſculptores, et garruli tonſores, et chirurgi, et balneatores, et profugi e ſcholis cantores, et bibliopegi, et chartarii, et cerdones, pelles veſtiendis libris praeparantes, et veteramentarii, centones, et panniculos ad chartas conficiendas colligentes.

E pagis, non ſine moleſtia eam ob cauſam, vt apud gregem ſuum doctrinae quandam ſuſpicionem, etſi forte non omnino iuſtam commouerent, iter ingreſſi ſunt paſtores ſacris faciundis conſtituti. Hos ſecuti ſunt ferularum exercitores cum turba puerorum, fidem doctrinae eorum factura.

Nec

Nec magis ſubſtitere, metuentes latina loquentem Apollinem, iudiciis paganis praefecti.

Multi quoque diuites et nobiliores homines alieni ab omni doctrina, dedicationum multitudine et liberalitate ſua celebrati, magno comitatu hoc iter ſuſceperunt.

Atque hoc modo fere redierat hominum genus, ad eius temporis ſtuporem, quo, ad reparandas vndarum caedes, lapides in humanam ſpeciem reſoluti ſunt. Aufugerant litterae honoris ſtimulis agitatae, ſine vindice leges erant, ſine metu morbi necabant, niſi quod anus vna et altera iis reſiſteret, non amplius contremebant curiarum fores procuratorum rixoſis clamoribus, nec ſtridebant in ſcholis philoſophi, nec garriendo eloquentiae laudem merebatur quiſquam. Exſultabat iam diues negotiator, quod dextram ab onere doctorum hominum, quibus hunc locum imperatorum fauor adſignauerat, nunc demum videret leuatam.

Rumor vero tantae rei impleuerat aures cunctorum, vt propterea clamor eſſet vndique atque concurſus. Nobis non vacat memorare omnia, quae vbique terrarum eo tempore geſta ſunt, continebimus nos propterea in Germaniae ſolius finibus.

In viis, per quas multi tranſire deberent, conſederant nonnulli, vel vt quaeſtum quaererent, vel, vt nocendi libidini ſuae ſatisfacerent. Quoddam raucum et turgidum genus hominum, omnia ſuo ſubeſſe iudicio exiſtimantium, magnas et frequentatas vias occuparat. Vultus iis erat truculentus, et ad extrema paratus, veſtes hirſutae, in pectore pera demiſſa pendebat, numis recipiundis, aperta, dextra clauam, ſiniſtra chartam tenebant, puluere quodam aeternitatis repletam. Hanc praetereuntibus ea ratione venalem offerebant, vt quemcunque, qui forte emere detrectaret, claua concuterent. Alii ſubter terram ſibi ad melini cubilis ſimilitudinem ſpeluncam effoderant, in qua eo vſque laterent, donec aliquem magnum et gratioſum apud ple-

pleroſque hominem vidiſſent, quem vel latratu terrerent, vel, ſi poſſent, pedum morſu laniarent. Hanc duplicem turbam, e nouellarum nonnullis collectoribus laudem pretio reddere ſolitis, et inuidis quibuſdam, ſed mordacibus nebulonibus, qui, non edito proprio nomine, magnos viros petunt, ferunt coiiſſe.

Hominum vero doctorum, vel ita videri cupientium quiſque, vt ſe inſignem Apollini redderet, dicitur, elaboraſſe, ſic in ipſo itinere, poetarum quidam chorus, rhytmis frugifer, nec curans magnopere cetera, quae Horatius quidam, aut Stagirites antea ad carminis elegantiam exegerunt, canorus toto gutture inceſſit.

Medicorum nonnulli, cum magnis trullis, quibus pharmaca quaedam a ſe inuenta, infudiſſent, et quae dicerent, omnes morbos pellere poſſe, decurſitarunt. Alii nigris veſtibus, oculis ad terram demiſſis, manibuſque ad coelum ſublatis, precantium ſimiles, plangentes quoque ac inge-

miſcentes, lente inceſſerunt, vt, quanto impotentius capiti ſuo optarent propoſitum decus, tanto publice viderentur altius deſpicere. Hos aniculas quaſdam, omnia domi et alibi geſta narrantes, inſecutas eſſe, perhibent.

Iureconſultorum alii, tribus famulis, eam ob cauſam conductis, actorum iudicialium pondera impoſuere, vt onera haec doctrinae ſuae poſſent Apollini oſtentare, alii contra, inter eundum clamitare non deſiere: laudo florentinam lectionem; geminatione opus eſt; nil clarius, truncus ſit, quin videat.

Nonnulli paboni impoſita vehebant antiquitatis monumenta, ſigna e cera et aere, patellas, perſonas, thuribula, numos, gemmas, vrnas, vaſa lacrimatoria, marmoreos titulos, et ſimilia: referebant, capite nudi et penula induti, eundo gradum veterum eius generis vectorum. Poſt ſe habebant nomenclatorem ſeruum, ante alium, qui, conſulum et imperatorum pabone vectis imaginibus, viam faceret.

Emi-

Eminebant in cetera turba morum ruſticitate et ſuperbia oculorum, homines quidam, libros veteres manibus tenentes, et perpetuo conuicio ſic exclamantes: fallitur ὁ πάνυ Graeuius! ſomniaſſe hoc loco, oportet, magnum Burmanum, cum talia dicere non erubeſceret; lege meo periculo; etſi omnes codices diſſentiant, ego ſic lego: Hi quoque, poſtquam in campis Boeotiae aduenerunt, legatos ad Apollinem miſerunt, qui modeſtiae coronam omnium eorum nomine deprecarentur. Indignum rati Criticis, modeſtiae nomine ornari.

Alii contra, inter eundum e terra effoderunt chartas, cum ſigillis et bullis, quales ſolent hodie diplomata vocare, quas pro antiquis et veris venditabant, quamvis eaſdem ipſi in eadem terra ante aliquot dies depoſuiſſent. His chartis immenſae eruditionis, rerum ad mediam aetatem pertinentium, famam et principum gratiam conſecuti ſunt, quorum fines his rebus proferre ſtudebant.

Viſi quoque ſunt nonnulli veſtibus ſordidioribus, quam quiſque faber ferrarius habet, taciturnitatem vultu referentes; miſteriisque, vt videbatur, initiati magnis, Alchymici vel Adetpi profeſſione ſua. Hi fornaculam et ignem, et carbones, rhedae impoſuerant, quibus praeſenti Apollini doctrinam, ſpe homines vana ditantem, cupiebant probare.

Non minus ſtupuerunt ceteri viatores aſpectu aliorum, qui, viribus valentes, cuivis praeterunti bellum religionis nomine indicerent, et fere omnes dictis et verberibus corriperent, quod affiirmarent, eos non ſatis bene de religione ſentire.

Notati quoque ſunt alii, qui barba demiſſa, fronte rugoſa, veſtibus detritis et laceris, pro philoſophia dicebant iter ſuſcepiſſe, ne ſcilicet ea, debito huic ſoli ornamento, careret, quamuis negarent, ſibi ipſis talia magna aut optabilia videri.

Non

Non minus memorabiles facti ſunt alii, nati e plebe homines, ſceptrorum ac coronarum multitudinem in pera quadam geſtantes, quibus ornare ſe principes pro arbitrio poſſe dicerent. Hi alte clamitarunt, ſe ſolos veram et regiam doctrinam conſecutos eſſe; omnes ceteros doctrinam profitentes humi repere, nec dignos eſſe, qui cum ipſis componerentur. Se calamis ſuis plus praeſtare centum exercitibus, ſibi iura viuentium regum ad tutelam commiſſa eſſe, lites regias dirimendas proponi.

In tanta virorum multitudine paucae quoque foeminae notatae ſunt, non ſatis venuſtae, at ideo negatam a natura formam doctrinae inſolentia, compenſare cupientes.

Fuit quoque genus doctorum hominum pediſſequum, quod magnorum hominum praeeuntium veſtigiis preſſius haereret, eorumque afflatu vitam doctrinae ſuae acciperet, notum inprimis in Germaniae vrbibus paucis, quae iis interpretum nomen

impoſuerunt. Inter quos ipſos tamen caput altius exſeruerunt quidam, qui penſa diſpenſarent reliquae familiae, et viderentur totum opus conduxiſſe.

Poetarum nonnulli memorabiles comitatu quoque facti ſunt. Sequebantur eos, rhedae vino et quaeſtuariis puellis onuſtae, quibus rebus animari ſe et ad carmina vocari, publice profiterentur.

Periculum omnibus fere viatoribus motum eſt furore eorum, qui ſe linguarum magiſtros dicerent, et clamore terribili aures euntium obtunderent. Hi neminem didiciſſe linguam melius ſe ipſis, rati, omnes praetereuntes auſi ſunt, non rogati, corrigere et emendare, quod, cum alii nonnulli noluiſſent perferre, res fere in pugnam atrocem abiiſſet, niſi prouidus Paean, veritus, ne numerus clientum minueretur bello, quem ad modum ante medicis artis exercitio interdixerat, hos quoque obmuteſcere coegiſſet, multoſque alios, lege a praecone promulgata, ne quis,

quis, niſi opifex litteras manu iuuans, in itinere aliud verbum, quam latinum proferret. Conticuerunt itaque, ſed interdum, vt viderentur, quae alii locuti eſſent, percepiſſe, capita iactauerunt, ad annuentium renuentiumue ſimilitudinem.

At, poſtquam in campo conuenerant, conſtans fama eſt, quemdam ſequenti oratione allocutum eſſe Apollinem:

Oratio Polybdei.

Si quid, litterarum praeſes Apollo, vnquam in litterarum vtilitatem, vel a te ipſo factum, vel ab aliis excogitatum fuit, quorum fuere quam plurima, ea omnia hodierni conuentus ſalubritate ſuperantur. Nam, cum nihil tantam habeat, ad excitanda doctorum hominum ſtudia, facultatem, quantam honoris et praemiorum ſtimuli; ita meo quidem iudicio, nihil melius a te fieri poterat, quam, diem vt conſtitueres, quo, praeſentibus omnibus, qui litteris adiuncti ſint, coronam tuo iudicio optime merenti, imponeres. Ego vero, quam-

quamuis, ſi obſequi meritorum conſcientiae voluiſſem, poteram ſecurus exſpectare promiſſum coronae ornamentum, ſatius duxi, eam modeſte a Te petere, quam ſine culpa mea ſpe iuſtiſſima deiectus, amittere. Atque propterea conſtituimus narrare breuiter, quae a nobis facta et geſta, quibus modis litterae a nobis adiutae, auctae, reſtitutae, imo ab interitu ſeruatae ſint. Nec veremur, ne cui haec noſtrarum rerum commemoratio parum modeſta videri poſſit, qui cogitet, quae vera ſint, non dici tantum verecunde poſſe, ſed adeo debere. Neque tibi, Apollo, haec narratio moleſta eſſe poteſt, qui ſcias, ea omnia a nobis ſuſcepta perfectaque ad amplificandam gloriam Tuam potentiamque inter homines fuiſſe. Faueas itaque, Paean, linguae noſtrae magna ſonaturae. Fauete et vos, quotquot adeſtis, litterati homines, diſcipuli mei, ſic enim vos omnes, iure quodam meo, vobis etiam honorifico, appello, quoniam non credo, aliquem inter vos tam ignauum fuiſſe, quin e noſtris libris aliquid didicerit. Exponam bre-

vis-

viſſime rationem totius vitae noſtrae, vt pernoſcatis, nullam horam fere a prima pueritia noſtra, alienam a litteris fuiſſe.

Hoc vero mihi, cum pleriſque magnis et claris viris, quorum tamen gloriam ego longiſſime ſuperaui, commune eſt, vt a parentibus iis, quibus nullam partem ſummae meae celebritatis deberi apertum ſit, atque in incerto et multarum vrbium ac plerorumque pagorum pugnis obnoxio loco natus ſum. In patria Tartarorum pater meus veteramentarius, vna cum matre, miſſus a nobili quodam Germaniae chartario, centones et panniculos colligebat. Diſceſſerat ex vrbe quadam, cui Arcus nomen erat, mater, quamvis grauida, et innixa paboni, (nam pater non minorem corpore agebat molem,) fructus clamoris vehebat. At mox ſenſit pariendi adeſſe tempus, meque, cum ſe ſuper ſaccos panniculis repletos proieciſſet, fere ſine dolore in lucem edidit. Id vero eo in loco factum eſt, in quo fines quatuor vrbium et trium pagorum coeunt. Pater vero, non praeſentiens, quanto lumine nunc orbis terrarum

hoc partu illuſtratus ſit, parum de partus loco ſollicitus, matrem languidam meque pabonibus impoſitos, (quorum alterum aduenae viatori regendum dederat,) ad vrbem Arcum, vnde paulo ante egreſſus erat, reduxit. Hinc huius incolae gloriantur, me in ea vrbe natum eſſe. Ego vero, impar tantae dirimendae liti, ſaepe recordatus ſum, omen in eo fuiſſe, quod primis eruditionis elementis, ſtatim, poſtquam vix ex vtero matris eſſem editus, fuerim impoſitus.

Cum mater olim ancillae munera, in pago Germaniae inferioris, apud paganum quemdam iudicem, obiiſſet, hic me aduectum in Germaniam ſuſcepit, tradiditque ſcholae magiſtro erudiendum, qui, cum primum me vidit, obſtupuit, praedixitque non vano augurio, me olim (vtor eius verbis,) monſtrum eruditionis futurum eſſe. Atque profecto, litterarum figuras intra octiduum, inaudito exemplo, tenui, ſyllabas componere intra menſem didici, legere trimeſtris diſcipulus potui.

Iam

Iam dum pagus iſte, in quo viuebam, ingenio meo celebratus eſt, et cuncti, qui me ſemel viderant aut audierant, fere, prae acumine et ſubtilitate, quae in nobis eminebant, de vita deſperarunt noſtra. Senſit mox paganus praeceptor, nil in ſe amplius eſſe, quo augeri noſtrae, iam ſatis adultae litterarum facultates, poſſent. Igitur in Gymnaſium viciniae miſſus ſum, ibi praeceptores, a quibus diſcere debuiſſem, coepi docere. Parco eorum nominibus, res vero manifeſta eſt, et nota in vulgus. Dimiſerunt diſcipulum mox, cui ſe impares viderent. Propero ergo ad academiam; pro more nomen apud Rectorem profiteor, cui interroganti, quid diſcere vellem, ſine mora repoſui: omnia. Quo facto is me curatius conſiderare, et exquirere coepit, vnde venirem, quibus magiſtris vſus ſim? Ego vero, vti ad cetera reſponſa dedi, ſic ingenue faſſus ſum, (quid enim ambagibus opus ſit in re vera,) me omnia a me ipſo didiciſſe; neque alia de cauſa, quam quod mori obtemperare velim, adiiſſe Academiam. Is vero hoc ipſum grauatus eſt, et

voluit me multis hortari. At ego contra, morae impatiens, diſceſſi.

Ab hoc tempore ſcribere coepimus nec vlla pars litterarum a nobis tuta fuit. Et libri quidem noſtri eo fauore excepti ſunt, quo, ſi vellemus aliorum admittere iudicia in rebus noſtris, poſſemus ſatis eorum praeſtantiam, communi omnium laude, aliis probare. At, cum res noſtrae, noſtro ſolo nutu ſtent, cadantque, his rebus nihil a nobis ipſis tribuitur, quamvis non ignoremus, magnae eſſe has apud ceteros facultatis.

Scitote tamen, philoſophica opera noſtra, intra triennium decies, carmina, intra decennium quadragies, orationes quinquies, epiſtolas nouies, Mathematicos libros, quales ſcilicet pauci legunt, bis editos eſſe. Scripſimus ab eo tempore quoque libellos paruos quam plurimos, orbisque litterati iudices ſententiam libere diximus, laudauimus et reprehendimus, vt occaſio tulit. Libri noſtri in Gallofrancicam linguam, Polonicam, Italicam, Angloſaxonicam et Belgicam tranſlati ſunt.

Cum

Cum centum nonaginta nouem aduerſariis decertauimus; In laudem noſtram Odae et carmina ſaepiſſime recitata ſunt. Docuimus tria millia diſcipulorum. Septuaginta quatuor libri nomini noſtro inſcripti ſplendent; Quinquaginta principes, nos recuſantes fere, donis ſatis ſplendidis obruerunt, nomenque noſtrum venerabile admirantur omnes, qui ſani ſunt.

His igitur omnibus nondum dignus propoſitis hodie ſpraemiis videar? Quid ceſſas igitur, Praeſes litterarum Apollo, num plura forte requiris? Quis ſit vero, qui plura fecerit? ſi quis adeſt, dicat, ipſi flagramus cupiditate cognoſcendi eum, qui nobis prior ſit.

Sed vide, ſtupent attoniti omnes, prae doctrina noſtra, nec reperitur quiſquam tam temerarius, qui ſe nobiſcum componere conetur. Noli itaque diutius, debitam nobis tot modis coronam, a merito capite diſtinere, et cinge potius docta tempora perennatura lauro.

At, etſi putem ac ſperem, pectus tuum, magne Apollo, vacuum ab omni partium ſtudio in hodierno iudicio, neque tibi moleſtum futurum eſſe, ſi me, ſecundum a te, digniſſimumque, debeas ornare, non tamen grauaberis, ſi honori meo et decori proſpexero, et, ſi negaretur corona prouocatione, ad omne deorum dearumque concilium, certauero.

Audita hac oratione Polybdei efferbuit ira deus, nec fere vidit adeuntem, ſeu potius adrepentem, librarium, qui litteras ſupplices ſequentes offerret.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
APOLLINI
MAECENATI ET FAVTORI SVO HONORATISSIMO
S. D. P.
AGENOR ATLANTICVS
LIBRARIVS ADRIANOPOLITANVS

Non puto latere Numini Tuo poſſe, me per plus, quam viginti quinque annos, operarium non contemnendum verae eruditionis fuiſſe, inprimis vero, ante quinque,

et

et quod excurrit, annos, publicandis operibus, clariſſimi per triennium hominis Philoſophi, ſtrenue elaboraſſe. At, quemadmodum raro optima conſilia, quae pro ſalute populorum et litterarum ſuſcipiuntur, exitus quoque felicitate gaudent, ſic quoque ego fortunae lubricitatem, damno maximo meo meorumque omnium, expertus ſum. Nam, vendita prima editione, ita e fauore omnium excidit Philoſophus meus, vt qui emere libros eius velit, quorum tamen exempla quam plurima in taberna mea repoſita iacent, adſit nemo. Qua emtorum inconſtantia, res meae ita vehementer concuſſae ſunt, vt periculum famae et exiſtimationi immineat, niſi Tu, auerrunce deus, auertere volueris! Hoc vero optime hodie fieri poterit, quo corolla ornare quemdam conſtituiſti. Nam recoxeris quaſi hominem meum, et noua indueris facie, ſi coronam addideris eius capiti. Sic nouus omnino videbitur, ſic reddita nouitate placebit. Curabo ego deinde nouos titulos fieri veterum exemplis librorum, et ſic ſpero me vendere poſſe hominibus, quos nunc mu-

ribus ſeruare videor libros. Nec ingratum beneficio afficies. Nam conducam poetam, qui Tuas laudes epico, pro more noſtri ſeculi, carmine canet, idque ego meis impenſis publicabo, et ne progreſſum laudum Tuarum pretium libri moretur, gratis diſtribuam legere volentibus, ſic Tu tandem, Illuſtriſſime domine, videberis magnus Apollo. Vale igitur, et rebus noſtris, vxoriſque, et liberorum eſurientium, et fere fame pereuntium conſule. Iterumque vale. Scripſi inter gemitus vxoris et latrantes liberorum ſtomachos, in officina mea libraria, Anno, poſt editum librum, ſexto.

Non poterat ſtultitiam tantam diutius perferre Apollo, et irato oculo copias ſuas luſtrans, adſidentes deos deaſque, pudore ſuffuſus intuetur. Videbat iiſdem ridiculum hunc ſuum exercitum videri, ac pleros que, qui docti videri haberique propria ipſorum profeſſione vellent, ſtultitiam corpore, inceſſu, veſtitu, vultu, dictis, ſcriptiſque prodere; deos vero deaſque prae-

ſentes

ſentes riſu immoderato rumpi. Iam tum ergo ira incenſus Apollo erat, ſed aucta eſt indignatio, poſtquam, ſubductis rationibus, vidit, numerum ſtultorum reliquorum excedere. Atque ſic ſubito concionem ſequenti oratione dimiſit:

„Litteras mentis medicinam eſſe debere „putaui. At nunc video pleroſque veſtrum „ad inſaniam iiſdem abuti. Deberent, qui „litteras profitentur, moribus politi, ſer„mone humani, vultu compoſiti, inceſſu „graues, animo honeſti eſſe. Sed omnia „alia in pleriſque veſtrum dolens video; „plerorumque animis inſidet liuor, inuidia, „dira habendi cupido, mala dicendi de omni„bus furor. Morum ruſticitate, corporis „immunditie, loquelae et ſermonis cultu „agreſti, inceſſus inſolentia, vos non lit„teris ad emendandos animos vſos, ſed ad „riſum ceteris hominibus commouendum, „abuſos eſſe, ſignificatis. Igitur, ne ſtul„torum patronus videar, cauere conſtitui, „ac vos omnes, quibus litterae non ad „animi honeſtatem profuerunt, et qui no-

„litis iiſdem ad ſalutem publicam vti, vos
„inquam omnes, e his coetibus remoueo."

Subita nubes inuoluit pleroſque praeſentium, ac a tot millibus, vix trecenti relicti ſunt. Ergo maluit Apollo a Marte vinci, quam illum vincere et tot ſtultis imperare.

Sed, quis corollis ornatus ſit? quaeritis: nemo ſcilicet ſanus. Nam ſertis ſtultorum tempora, vt internoſci poſſent, Apollo cinxerat, et ſic, quae fuerat antea honeſta nota, vileſcere coepit.

PRO

PRO BELLIS PHILOSOPHORVM

Deſpiciens nuper e feneſtra vidi binas vetulas, ſuauiter blaterantes, lente in platea incedere. Quarum altera, ad ea, quae ei narrabat altèra, forte de annonae caritate, et Turcarum in Galliam deſcenſu, et de inſomniis quibus ipſa proxima nocte agitata fuerat, et de monſtro nupero, quo adultera eſſet enixa, et de ſimilibus rebus, auriculas arrigebat, ſuſpiria trahens, et manus, prae ſtupore, ad coelum attollens. Sic fabula initio inter eas magna concordia acta eſt, ſed, cum tandem vna pertinaciter negaret, quae altera conſtanter affirmaſſet, paullatim ſurgere criſtae coeperunt, concitatiorque vtriuſque oratio facta eſt. Mox cum neutra earum vellet cedere, primo coeperunt ſibi inuicem exprobrare, quaecunque malefacta alterius vel memoria tenerent, vel ira ſuppeteret, mox vſae ſunt dicteriis, denique verberibus.

Atque tunc, cum vidiſſem ad eum modum, quo oratio earum efferueſceret,

ceret, etiam augeri numerum comitum et ſpectatorum, veſtram Philoſophi providentiam tacitus admiratus ſum, qui famam veſtram maledicendo de ſuperioribus philoſophis, et contra praeſentes et viuentes diſputando, augetis, et ſic docta corpora veſtra iuuenum incautorum corona cingitis.

PATRIS

PATRIS ET FILII MEDICORVM

DIALOGVS

Pater.

Igitur nunc ornatus ſummis honoribus, non amplius diſcere artem debes, cuius faciendae poteſtatem conſecutus es.

Filius. Enimuero, vereor ſane, vt hoc ipſum tam ſit facile futurum.

Pater. Cur vero?

Filius. Quoniam, non immerito, ſuſpicor, iis aegrotis, qui ſe primos curae meae commiſerint, non leue vitae periculum imminere.

Pater. Nec hoc negare auſim, ſed, quid in ea re difficultatis?

Fil. Quoniam ſatis mihi graue videtur, interficere eos, qui a nobis ſalutem ſperent.

Pat. Sed nulla alia, niſi hac, via, licet ad medici clari nomen peruenire.

Fil. Duram vero conditionem! cui adſtricti artis ſalutaris doctores ſunt, nec tamen forte veram.

Pat. Quidni? Scilicet, vt Phoenix e patrum cinere naſcitur, ſic paucorum exitio, plerisque deinde ſalus tribuitur.

Fil. Sed profecto is, qui ſe nouitio medico addixerit, debet vitam potius abdicare, quam ſperare?

Pat. Ita eſt, ſed vt tamen ſemper exiſterent, qui ſua corpora vellent aliorum ſaluti deuouere, veteres artis noſtrae magiſtri effecerunt, cum pleroſque homines ea opinione imbuerent, vt nouos medicos etiam nouum augmentum, ad artem medicam afferre credant. Propter eam vero opinionem tam facile multi perducuntur, vt ſe, vitamque ſuam, corporumque valetudinem committant iis, quorum nec eruditionem, nec experientiam ante cognouerunt. Et, hinc etiam duplex eſt medicorum commendatio,iuniorum a nouitate et pharmacorum, quibus vtuntur, inſolentia, altera, altera ab experientia et vſu ſeniorum.

Fil. Sed vtram earum magis exiſtimas tutam?

Pat.

Pat. Vtramque, pro annorum et aetatis diuerſitate. Nouellus medicus, vt innoteſcat, debet iactare et oſtentare propriam eruditionem, ridere et contemnere aliorum placita, accuſare interdum mortis et negligentiae eos, qui magnam famam vel meriti conſecuti ſunt, vel, vt fit, immeriti poſſident; deinde ea fiducia loqui, vt non tam diuinaſſe, quam praedixiſſe, mortem, aut vitam, videatur eorum, qui eum aegri aduocarunt.

Fil. Enimuero, ſi euentus noſtrae praedictioni non reſponderit? quid deinde?

Pat. Tunc ſcilicet, ſi res melius ceſſit, quam quidem praeuideramus, debemus hoc artis praeſtantiae modeſtiaeque noſtrae tribuere, vt plura praeſtare, quam promittere maluerimus. Sin peius, id non noſtra, ſed vel aegrorum propria, vel propinquorum, aut familiae, culpa accidiſſe, conſtanter affirmare, obiurgare quoque interdum eos, quibus domeſtica cura aegrotorum commiſſa fuerat. Denique, vbicunque nobis detur familiariter colloquendi et garriendi facultas, quam vel ſponte ob-

latam arripere, vel nobis ipſis ſumere poſſumus, ibi, ſi ſermo ad eos deferatur, qui nuper inter aegrotos noſtros mortui ſint, ingemiſcere alte debemus, nihil aperte de cauſa mortis pronunciare, ſed dolere modo exitum eorum, qui diutius viuere potuiſſent, niſi - - - - Hic abrumpenda eſt oratio, vt, ſuſpicione mota, omnes putent culpa aliorum, quam praeſtare nullus medicus poſſit, illos obiiſſe.

Fil. Haec praecepta profecto Tua ſunt experientia digna, mihique vtiliſſima futura, vt propterea plura cupiam e Tuo ore diſcere, quae putes nouello medico neceſſaria. Inprimis vero velim ex Te eas cautiones diſcere, quibus medico futuro ad experientiae laudem, tam conſequendam, quam tuendam, opus ſit.

Pat. Primo ſcias duplicem viam medico patere, alteram frequentatam, cui veterum veſtigia impreſſa ſunt, infrequentem et ſolitariam alteram, in qua ſolus ſine comite incedere debeat. Illa quidem magis eſt tuta, haec vero ad gloriam augendam accomodatior. Nam, quicunque artem

me-

medicam faciunt, aut affixi veterum et ſuperiorum magiſtrorum praeceptis adhaerent, aut excitati ingenii quadam felicitate, nouas vias quaerunt. At, vt fere ſemper res noua in ſe aliquid periculi habet, ita et ſi bene ceſſit, gloriam maiorem allatura eſt. Quare, ſi, qui medicinam facturus, velit ſubito clarus fieri, non debet contentus eſſe iis, quae a ſuperioribus acceperit, ſed ipſe nouis inueniendis operam daſſe, et, vel veterum praeceptis nouitatis ſpeciem reddere, vel quae ipſe inuenerit magnifice iactare. Poteſt propterea profiteri, ſe contra morbos immedicabiles diuina benignitate pharmaca quaedam detexiſſe, quorum naturam, quamuis nolit ceteris medicis prodere, ne ſcilicet fructu diuini beneficii ſe ipſum priuet, factis tamen poſſit clariſſimis probare. In tali re vulgi ſermones magnae ſunt vtilitatis, qui excitari poſſunt, tum frequenti pharmacorum in actis diurnis commemoratione facienda, tum anicularum quarundam nobis donis vel aliis modis deuinctarum garrulitate. Nam, quamuis ſunt, qui eam cir-

culatoriam in actis diurnis artis noſtrae iactationem faſtidiant, ego tamen expertus ſum, eam apud plerosque fructuoſiſſimam fuiſſe, qui, ſi quid in illis viderint commemorari, non amplius de eius veritate, imo praeſtantia dubitent. Ac horum quidem magnus eſt numerus. Praecipuam vero vtilitatem famae noſtrae reique familiari, talis commemoratio allatura eſt, quae magis factorum noſtrorum magnitudini ac praeſtantiae, quam precibus noſtris videatur tribuenda eſſe.

Fil. Sed quomodo hanc conſequi poſſis?

Pat. Scilicet, ſi queas talem actorum diurnorum ſcriptorem adigere, vt, ſi quis quando aegrotus, qui ad Te ſalutis quaerendae cauſa venerit, vel forte ſanatus, vel a Te reſtitutus ſit, hoc magnificis et ſplendidis verbis referat, fidem Tuam, promtitudinem, curam laudet; ſalutem vero illius et plerorumque hominum, inuentorum Tuorum ſalubritati tribuat; quo facto plerique etiam exteri, quouis verbo affecti a Te ſalutem petant, largitionibus, donis, pretioſa ſuppellectile, aliiſque rebus cumu-

mulent, imo Dei Auerunci in modum colant.

Fil. Bella profecto res! ſed, vt mihi videtur, ardua.

Pat. Nil minus. Si praeſertim aniculas in auxilium vocaueris. Nam hoc tene, earum ad laudem medici augendam magnam eſſe facultatem, et eodem modo medicorum et concionatorum famam ſtare et cadere earum iudicio.

Fil. Sed dic, quaeſo, quomodo hoc poſſint?

Pat. Scire debes, mi fili, in aedibus plerorumque diuitum et lautiorum hominum, aniculas aliquot tales foueri, e quibus, vel herus, vel domina, diſcat omnia, quae tota in vrbe geſta, facta, narrata, dicta, emta, vendita, donata fuerint, quis ebrius domum redierit, quot conuiuas Caius aduocare iuſſerit, quot gemmis ornata Tullia Lygdanum ſponſum exceperit, qua veſte indutus Cneus infantem e baptiſmo ſuſceperit, et ſimilia. Inter tales ſermones, ſaepe etiam quaeſtio incidit, num

quis aegrotet? Si faueat Tibi anicula, curioſe omnes enumeret, quorum ſanationem Tu ſuſceperis, laudabit Te, et forte dicet: " nil his et a grauiſſimis morbis metuendum, Te medico, eſſe, Te amabilem, iucundum humaniſſimumque virum eſſe, cum omnibus familiariſſime colloqui, iocari quoque interdum liberaliter". Hoc inprimis dominae placebit, mulcebit hoc audito barbam mariti, et expugnabit eum precibus, vt, ſi quando, vel morbo, vel puerperio, languida fuerit, a nullo alio medico opem petat, quam ab eo ipſo, quem aniculae garrulitas commendauerit.

Fil. Nunc peruideo omnia.

Pat. E contrario, ſi diſplicueris aniculae, ſponte narrabit: "imminere quibusdam, qui ſe Tibi commiſerint, magnum vitae periculum, non quidem ab ipſo morbo, ſed a medico, mirandum fore, ſi euaſerint. Ita Te temere omnia ac negligenter agere, vt magis videaris necandorum, quam ſeruandorum aegrorum conſilium cepiſſe".

Fil.

Fil. Sed, quibus modis poteſt quis, apud iſtas ſe gratioſum reddere?

Pat. Narrabo Tibi praecipuos. Amant aniculae garriendi facultatem ſibi dari. Ita, ſi qua Tibi obuia occurrerit, prenſa manum, exquire quid faciat? num valeat? ſi liberos habeat, num his quoque bene ſit? Si dixerit caput dolere, aut ſe tuſſi febreue laborare, pulueres et potiones mitte quam plurimas, nam amant et hoc, domi quoque inuiſe, cibos et vinum mitte. Si cui Te aegro illa commendauerit, a quo largam mercedem laborum acceperis, gratias age, non verbis modo, ſed refer munuſculis. His rebus Tibi totam anum ita deuincies, vt apud omnes laudum Tuarum mentione facta, centies parua dona garrulitate linguae, rependat.

Fil. Sed memini me audire, aniculas ipſas non raro medicam artem exercere velle.

Pat. Hoc quidem veriſſimum, et non raro moleſtiſſimum medicis eſt, ſed deuoranda patienter eſt moleſtia, quae magno lucro compenſatur. Nam ſi in diuitis do-

mo audieris domeſticam aniculam aperte pronunciare, hanc vel illam rem, ad morbum quemdam pellendum, quo nunc forte, patronus, dominaue, laboret, efficacem eſſe, non aude hoc impudentius negare, ſed, ſi tibi plane ineptum videatur, tace, vt, quando minus bene eius vſus ceſſerit, obiurgandi, credulitatem aegrorum, facultatem ſaluam habeas. Si ferri poteſt, quod dixerit, et innoxium eſt, mirifice, ſed cum grauitate quadam, et ita, lauda, vt ipſe videaris eodem ad ſanationem aegri vti voluiſſe. Hoc modo, nec auctoritati aniculae, nec Tuae ipſius, aliquid detraxeris.

Fil. Audiui vero eas clam, et inſciis medicis ſaepe pharmaca aegris offerre.

Pat. Quod ne Te inſcio fiat, debes cum ſeruorum famularumque coetu familiariter colloqui, vt hi tibi ſtatim, ſi quid tale factum ſit, renuncient. Quod ſi cognoueris ſumtum quid ab aegro Te inuito et ignorante fuiſſe, noli ſtatim eum propterea obiurgare, ſed expecta exitum rei. Si augetur morbus, tunc opportunum tempus eſt, quo perniciem huius temeritatis exprobrare, quo

mi-

minari poſſis, ſi minuitur morbi vehementia, ſimula, Te nihil, de his omnibus, reſciuiſſe.

Fil. Supra dixeras, pater, nouam rationem nouello medico ineundam eſſe.

Pat. Recte.

Fil. Sed, in quibus periculum nouae rationis faciet?

Pat. In pauperibus et ignotis hominibus.

Fil. Num vero hi meliore iure interficiantur, quam diuites?

Pat. Sine dubio.

Fil. At putem, vitam nec pauperes lubentius, quam diuites amittere.

Pat. Hoc verum eſt. At tutius eſt, experiri in pauperibus, quam in diuitibus.

Fil. Non video, quorſum tendas.

Pat. Statim videas. Sciſne quorſum omne exercitium artis noſtrae dirigendum ſit?

Fil. Ad ſalutem hominum aegrotorum.

Pat. O truncum hominis!

Fil. Num, quod dixi adeo abſurdum putes?

Pat. Nil magis abſurdum audiui vnquam.

Fil. Noli longius, quaeſo, deſiderium meum detinere, dic, quid ſit, quod velis.

Pat. Omnis ars noſtra, hoc tene, lepidum ſinciput! ad rei noſtrae familiaris augmentum comparata eſſe debet; niſi hoc conſequaris, perdes operam.

Fil. Igitur, ars noſtra ſola in vtilitatem diuitum, et noſtrum ipſorum, inuenta eſt?

Pat. Qam maxime, nam pauperum curam non debemus aliter ſuſcipere, quam ſi cum diuitibus ſint coniuncti, a quibus reparati temporis operaeque iactura noſtra poſſit. Reliquis vero non aperte quidem, ne inhumani videamur, operam noſtram debemus negare, ſed tamen tanto negligentius praeſtare, quanto minus mercedis ab iis nobis reddi poſſit.

Fil. Hoc ſcilicet per omnem vitam curioſe obſeruabo, ſed de experimentis, de quibus ſupra mentionem faciebas?

Pat.

Pat. De his vero haec habe. Si quid putes noui inueniſſe, quod neſcias, num ſalutare, an perniciosum aegrotantibus, ſit futurum, initium ea re vtendi noli in diuite et numoſo, aut noto claroue homine facere. Nam hic ſi pereat, Tibi ipſi Tuaeque rei familiari multum vtilitatis auferet, eiuſque mors ad totius vrbis notitiam ventura eſt, quod moleſtiſſimum eſſe ſolet. Et certe vnius diuitis mors plus damni affert medico, et plus auctoritati eius detrahit, quam caedes centum pauperum. Igitur ad experiendum opus eſt paupere. Neque vero quiſque inops ad eam rem deligendus eſt. Abſtinendum ſcilicet eſt ab his, qui in clientela diuitum et potentiorum, vel qui gratioſi apud totam vrbem ſunt, quod forte immeriti ad paupertatem redacti ſunt, in quibus nihil temere, nihil perperam audendum eſt.

Fil. At, in quibus?

Pat. In ignotis et praeſertim talibus hominibus, quorum deſiderio nemo poſt mortem teneatur.

Fil.

Fil. Sed quinam hi futuri ſunt?

Pat. Primo, ad experimenta etiam morte capienda aptiſſimi ſunt, qui, diuturno morbo laborantes, paulatim e memoria hominum exciderunt.

Fil. Hoc verum eſt, nam hi tandem moleſti benefactoribus ſuis euadunt.

Pat. Omnino, et propterea non adeo vehementer ſubiraſcuntur, ſi ſe tali onere leuatos ſentiant.

Fil. Imo, gratum eſt.

Pat. Deinde ad experiendum aptiſſimi ſunt pauperrimi homines, qui nec tantum habent, quantum ad alendum corpus requiritur. Hi ſcilicet lubentiſſime mortem ſubeunt.

Fil. Non credo quemquam lubenter mortem ſubire.

Pat, Imo, multis mors beneficii loco tribuetur.

Fil. At quibuſnam putes ita optabilem eam videri?

Pat. His ſcilicet, qui fame perituri ſint.

Fil. Sed quare lubentius ſe patiantur a medico interfici, quam a fame exſiccari?

Pat. Quoniam ſic magis placide extinguantur, etiam ſi repraeſentare nomen morti debitum cogantur.

Fil. Sed num recte necant tales medici?

Pat. Nugae! quare non?

Fil. Quoniam hi magis vitam a doctrina noſtra petere, quam mortem a crudelitate timere videntur.

Pat. Enimuero dulce et decorum eſt pro patria mori.

Fil. Quomodo hoc ad eos?

Pat. Scilicet, cum hos miſeros pauperes, et ignotos homines e vitae miſeriis ſuſtuleris, poteris deinde centum alios ſeruare, diuites, beatos, qui, vita vti, reipublicae vero inſeruire, poſſint.

Fil.

Fil. Sed, cur illi ſe debeant pro patria devouere.

Pat. Quoniam medicorum prouidentia ad hanc gloriam adiguntur. Sed ecce, venit quidam, qui me ad aegrotantis lectulum auocet. Igitur alio die plura.

DE

DE SVPERIORE DIALOGO

AD VIRVM EXPERIENTISSIMVM
AMPLISSIMVMQVE

CAROLVM PHILIPPVM
GESNERVM

IOH. MATTHIAE FIL

MEDICINAE DOCTOREM POT. REG.
POLON. EL. SAXONIAE A CONSI-
LIIS METALL. ET IN AVLA
MEDICVM

EPISTOLA

L

CAROLO PHILIPPO GESNERO

VIRO AMPLISSIMO

EXPERIENTISSIMOQVE

S. D. P

FRIDERICVS PLATNER

Non vereor ne, Vir Ampliſſime, Tibi ceteriſque medicis iocus meus in medicos, vt puto innocens, diſplicere poſſit. Nam is ego profecto non ſum, nec propter patris memoriam eſſe debeo, qui nobiliſſimae arti veſtrae, vel minimum ornamentum detractum cupiam. Ipſe quoque, in valetudinis parum proſperae viciſſitudinibus, didici expertus, quam gratum ſit auxilium a honeſti medici doctrina experientiaque tributum.

Sed quantum medicos Tui ſimiles veneror, tantum ab aliorum temeritate, arrogantia, auaritia et inſcitia, abhorreo. Hos luſus noſter petit, quos ſcilicet Tu ipſe Vir Ampliſſime, non riſu tantum, ſed poenis dignos iudices. Quos me odiſſe non negem, cum hoc odium in temerarios iſtos circulatores, aut qui horum mores ſequantur, mihi pater meus, ab omni tali oſtentatione et temeritate alieniſſimus, ingenuiſſe videatur, qui nullam facile praetermiſit, dum viueret, occaſionem, qua vel perſtringere hos ipſos, vel, hortando, auocare iuuenes a tali propriae laudis impotentia et aduerſus aegros perfidia, poſſet. Cuius rei etiam aliquot exempla in libris eius paſſim occurrere videas.

Atque propterea, quod medici non contemnendi, et olim, et nunc, non verbis tantum, ſed ſcriptis etiam, contra talem nonnullorum dementiam dixerunt, ſperaui, neminem probum et modeſtum medicum mihi facile ſuccenſere poſſe, etiamſi hos loqua-

loquaces homunculos ſale quodam perfricarem, riſuique ac ludibrio exponerem meritos.

Nam nihil profecto poteſt excogitari, quod magis alienum a litteris eſſe, aut ſi inuitas ſequatur, repelli, maiori vi, ab iis debeat, quam arrogantia et cupiditas diuitiarum.

Iis enim, qui omnem operam collocent, vt litteras earumque ſtudioſos riſui contemtuique exponant, ſtulta nonnullorum oſtentatio, doctrinae interdum nec ſatis magnae, arma, quibus contra litteras pugnent, videtur porrigere, vt deinde, quod opprobrium paucis forte proprium erat, malitioſe cum omnibus, qui litteras ament, communicare queant. Non diffiteor vero, me exiſtimare, a medicorum quorundam impudentia et fraudibus maximum damnum litteris eſſe allatum. Ii enim, quanto ſaepius, ceteris, ad omnium generum homines ab arte ſua perducuntur, tanto etiam

 faci-

facilius ſtultitia eorum innoteſcit, cum contra, reliquorum, vel in muſeis lateat, vel in libris tantum, quos pauci legant, en peritura charta declaretur.

Cauere itaque debet, quicunque arti veſtrae bene cupiat, ne boni probi et innocentes medici in turba ceterorum confundantur, iiſdemque dicteriis, quae ſolis circumforaneis et ſimiis medicorum debentur, afficiantur.

Ego vero, cum nollem in ſuſpicionem alieniſſimi, a ſaluberrima arte, animi, ſuperiore luſu, incurrere, hanc ad Te epiſtolam, animi mei purgandi cauſa, ſcribendam duxi.

Propter tuam enim erga me beneuolentiam, Vir Ampliſſime, quam mihi verbis factiſque clariſſimis ſaepius probaſti, poſſum ſperare, Te hanc cauſam meam apud omnes medicos tanto lubentius ſuſceptu-rum eſſe, quanto ipſe et ab iſtis vanis artibus

bus remotior es, et minus itidem indiges. Nam ad has coguntur ſe ii tantum demittere, qui, ſine litteris artem facturi, plebi non infimae tantum, ſed etiam potentiori et ditiori, cupiant innoteſcere. Quod ſane in Te Tuique ordinis, id eſt doctiſſimos, viros non cadit, cum non raro a vobis ipſis, decepti circumforaneorum fraudibus, etiamſi hos vobis antea praetuliſſent, petere cogantur auxilium. Et propterea publicata artium vanitate, nullum Tibi, Tuique, doctrina et morum ſanctitate, ſimilibus, poteſt imminere periculum.

Ego vero huius ſcribendae epiſtolae conſilium, vel etiam hanc ob cauſam cepi, vt Tibi et animum meum obſeruantiam que, quae erga Te, et Venerandum Patrem Tuum, humanitatis doctrinaeque nomine, merito ſuo, celeberrimum, ſumma eſt, demonſtrarem. Hoc vero Tibi perſuadeas, me nihil magis optare, quam vt, mox reddita patriae noſtrae pacis proſperitate, cum ipſo Regis Optimi Numine,

 quo,

quo fauſtiſſimo ſidere meerens nunc ca-
ret Saxonia, felix ſalvusque redeas, mi-
hique litterarum Tuarum ſuavitatem et
fructum reddas. Sic vale, meque amare
perge. Iterumque vale. Scripſi in Aca-
demia Lipſienſi, Menſe Septembr.
ƐIƆIƆCCLVII

PRO

PRO PHILOSOPHIA

AD PHILOSOPHOS

DEPRECATIO

Mirum videri poſſit multis, quod contra vos Viri Acutiſſimi, cauſam philoſophiae agere, eamque a vobis ipſis defendere inſtituo, cum nemo magis fauere huic arti, eiusue ſaluti prouidere videatur, quam vos, qui non animos tantum veſtros, ſed ipſa egregia ſubtiliſſimaque corpora, philoſophiae ſtudio et vtilitati deuouiſtis. Quid igitur defenſione opus ſit, aduerſus eos, qui ſe omnem operam, omneque ſtudium in eo collocare profiteantur, vt gloriam philoſophiae amplificent, vt aditum ei, ad homines eorumque animos, patefaciant, vt nouis incrementis augeant, et ſupra omnes artes et litteras, extollant? Non diffiteor, viri acutiſſimi, ei, qui haec cogitet, exiguam noſtrae defenſionis neceſſitatem videri poſſe, ſed non vereor, ne, re curatius conſiderata, inanis habeatur. Dabitis igitur veniam, ſi in praeſenti vobis eas cauſas expoſuero, quibus ad hoc patrocinium philoſophiae praeſtandum, permotus ſim.

At-

Atque hoc puto vos ipſos facile mihi, conceſſuros eſſe, artem veſtram philoſophiae multum priſtinae inter homines exiſtimationis et priſtini ſplendoris amiſiſſe. Hoc enim non ſine ſumma, vel inſcitia, vel mentiendi licentia, negari poſſe arbitror. Nam, ſi, ad tempora Graecorum Romanorumque redierimus, apud quos populos, Philoſophia vel nata, vel ex Aegypto aduena, ſuſcepta, educata, enutrita, et ad tantam pulcritudinem efformata eſt, vt omnibus, in quorum notitiam veniret, placere, et ſuae familiaritatis deſiderium commouere poſſet, ſi, inquam, haec tempora animis repetamus, quam, bone deus! diuerſam, illam philoſophiae conditionem, ab hac hodierna inueniemus. Erat vero tunc apud omnes gratioſa; in aulis principum et potentiorum virorum dominabatur, omnibus publicis priuatiſque rebus adhibebatur; domi foriſque, in vrbe et in caſtris, ſummis viris comes et rectrix praeibat, omnes denique artes, ac litterae, eidem cedere dignitate, et animari ab eius ſpiritu videbantur; in conuentibus porro

hominum, in conſultationibus eorum, in conuiuiis adeo conſpiciebatur. Mores non ad faſtum et ruſticitatem inflabat, ſed ad vitae ſocietatem vſumque rei publicae emolliebat, oratione vero vtebatur perſpicua, clara, nulla vocum vanitate delectabatur, nunquam obſcuritate grauitatem affectabat; Eius vero cultores memores, quorſum omne ſtudium artis ſuae dirigendum ſit, ſalubrius elaborabant, vt ipſos homines virtutis ſtudio incenderent, quam vt memoriae eorum tenacitatem futiliſſimarum vocum multitudine exercerent.

Enimuero, quam nunc ab illa veteri haec noſtra philoſophia diuerſa eſt! quanta contemtus miſeria, iſtam ſuperiorem laudis fauoriſque copiam, inſecuta eſt! Num publice prodire audet? Num conuentibus hominum intereſſe? Num optabilis amplius vlli, niſi ipſis philoſophis, videtur? Latet in muſeis paucorum, vinculis fere adſtricta; non amplius ad vitae vſum, vt antea, ſed ad vaniſſimam obſcuritatis et nugarum oſtentationem ducit, non virtutis ſtudio

implet,

implet, ſed ſubtilitate et diſputatione ad impugnanda doctrinae ſanctioris praecepta abutitur.

A quibus vero tam male habita, tam deprauata, tam deformis et ſqualida effecta ſit? Dicite, vnde haec tanta rerum conuerſio acciderit? Num forte ipſa Philoſophia e faſtigio, in quo olim conſtituta regnabat, ſponte deſcendit? Num ipſa ſe muſeorum carceribus incluſit, et e coetibus hominum receſſit? Num ſplendore, quo olim illuſtrata erat, obſcurato, ſe ipſam tenebris inuolutam luce priuauit, verbiſque ſuis, et toti orationi, nebulas obduxit?

Quis vero ſine ſumma impudentia haec affirmare audeat? Quid enim natura ſua conſtantius, et aduerſus omnes annorum temporiſque iniurias validius, excogitari poſſit, Philoſophia, quae talium rerum, in quas nulla corruptio aut mutatio cadere poſſit, cognitione abſoluitur? Quis enim virtutis et honeſtatis praecepta eadem fuiſſe ſemper et futura eſſe neget, quis exiſtimet? veritatis notas nunc nouas expreſſas eſſe,

aut

aut noua vincula animum hominis corpusque continere, aut nouas facultates animo humano, aut ſenſuum ſubtilitati, acceſſiſſe, aut nouas vias ſidera et corpora coeleſtia iniiſſe, et aliter, quam antea terram moueri, et coelorum cauitati ſubiectam eſſe. Quae ſcilicet omnia, vti a Deo ſapientiſſime ab initio inſtituta ſunt, ita non prius, quam cum ipſo terrarum orbe, interitura ſunt.

Quare, cum in ipſa philoſophia eiuſque natura nihil nunc diuerſum ab eo inueniatur, quam quod vllo tempore antea fuerit, cauſae contemtus ſine dubio, extra eam ſunt quaerendae, praeſertim, cum eius amplitudini non tam quaedam detracta, quam potius pleraque eorum inuentis, qui, veram corporum coeleſtium terreſtriumque naturam curioſius, nuper indagarunt, videantur attributa.

Fatendum ergo eſt, culpam contemtae hoc tempore philoſophiae, iis praeſertim tribuendam eſſe, qui, quam maxime eius dignitati debuiſſent proſpicere, et ſimilem eſſe philoſophiae conditionem eorum calamitati,

ti, qui maximis damnis imprudentia amiciſſimorum hominum afficiantur.

Nam, ſi reſpexerimus, Viri acutiſſimi, quomodo arte veſtra vtamini, quorſum omne eius ſtudium dirigatis? vereor ne pateat, pleraque a vobis inuenta ad propriae gloriae oſtentationem, neglecta contra fere cuncta fuiſſe, quibus inflammari animi hominum virtutis amore, et publicae ſalutis ſtudio, poſſent.

Sed quo, quaeſo vos, alio conſilio ars veſtra inuenta, cui alii vſui deſtinata eſſe poſſit, niſi, animis hominum virtutis ſenſu replendis et ab omni faſtu, arrogantia, diuitiarum cupiditate, pugnandi altercandique libidine, abalienandis, et ad patriae ſalutis curam amplexendam impellendis. Hoc ſcilicet conſilium ſecuti eſſe videntur, quicunque Graeca Latinaue lingua, aliquid de philoſophia propoſuerunt. Hi vero ipſi, cum facile poſſent praeuidere, tam aſperam diſciplinam paucis probari poſſe, niſi verborum laeuitate emolliatur, eodem ſtudio contenderunt,

vt

vt, tam ſubtiliter et ad vitae, reique publicae vſum accommodate, quam perſpicue et eleganter pronunciarent. Ex hoc vero ſtudio elegantiae et puritatis in dicendo, iſte communis fauor propagatus eſt, quo omnes fere homines philoſophiam proſecuti ſunt, eique ſoli tribuendum eſt, quod plerique et differentes philoſophos lubenter audire, et legere libros eorum cuperent. Nam, cum iſti philoſophi populari et ad plebis quoque captum interdum demiſſa oratione effeciſſent, vt omnes perſpicerent, hanc artem, non ad ſcholaſticae et vmbratilis gloriolae vanitatem inuentam eſſe, ſed ad acuendos et poliendos animos humanos, quam plurima conferre, pauci fuerunt, quin ſe tam vtilis doctrinae participes reddere vellent.

Sed nunc agite, Viri ſubtiliſſimi, agite comparate rationem, quam vos in docenda philoſophia tenetis, cum illis veterum inſtitutis, quae cum tanto auctoritatis veſtrae detrimento reliquiſtis. Oratio primum veſtra, quam rauca, quam turgida,

quam obſoleta eſt; Verbis ſcilicet, nec loquendi rationem, nec interdum grammaticorum praecepta, obſeruantes, pro libidine veſtra ita abutimini, vt, tanto quis maior excellentiorque philoſophus vobis videatur, quanto is minus elegantiam ſermonis curet, et praeceptis rhetorum ſe adſtringat. Enimuero, quid hac veſtra negligentia conſecuti eſtis? hoc ſcilicet, vt philoſophia, quae olim a toto humano genere obſeruabatur, nunc pauciſſimos comites, ipſos ſcilicet philoſophos, retinuerit; vt philoſophiae ſtudium, quod olim tantopere inter homines feruebat, nunc ita refrigeſcere coeperit, vt fere ridiculus videatur, qui philoſophiae amorem profiteatur; vt, cum ſuperiorum philoſophorum libri, per tot ſecula conſeruati, et ab humaniſſimis et elegantiſſimis viris tanta ſuauitate lecti ſint, veſtri, propter barbariam eorum, poſt tres annos, ſi vel maxime duret eorum gloria, cum ſummo faſtidio, etiam ab exiguo numero lectorum, qui iis forte contigiſſent, abiiciantur; vt, cum veterum iam dudum mortuorum philoſo-

loſophorum memoria nunquam videatur interitura eſſe, vos viuentes et valentes corpore, e recordatione hominum, exci-datis.

Nam profecto, ſi quid inconcinne, no-ſtra aetate, vel latina, vel vernacula, lin-guá propoſitum eſt, id fere omne philo-ſophis debetur, qui tantopere cauendum putent, ne verborum cultus rerum ſubti-litati officiat, vt adeo elegantiae et purita-tis curam aliis ſubinde exprobrare non eru-beſcant, qui reddere priſtinam formam phi-loſophiae ſtudeant. Sed haec ipſa philoſo-phorum in dicendo negligentia et in elo-quendo obſcuritas, praeterquam, quod faſtidium aduerſus ipſam philoſophiam pleriſque commouet, ridiculam quoque eamdem efficere videtur.

Hoc vero apparet nulla re tantopere ve-ſtram auctoritatem maioreque impetu con-cuſſam eſſe, quam altercationum et diſſen-ſionum veſtrarum frequentia. Vnde vero ea exorta eſt? niſi a ſermonis inconſtantia et verborum ambiguitate, quod vtrumque

 vitium

vitium ab elegantiae et praeceptorum dicendi negligentia, deriuandum eſt.

Hoc enim videtur, moribus apud noſtros philoſophos receptum eſſe, vt, quicunque eminere inter ceteros cupiat, ad notitiam hominum, victoria cuiuſdam gratioſi eius anni philoſophi, aditum ſibi aperire in eumdemque molem conuiciorum coaceruare debeat. Videtur tunc de imperio, duobus ferociſſimis populis, bellum natum eſſe, tanto res impetu, tanta animorum commotione, agitur. Haec vero tanta certamina exigui pulueris iactu quieſcent compreſſa. Nam ſi rem curatius conſideres, bellum de verbo geri videas, quod ſcilicet ipſum, legum dicendi negligentiae, vnice videtur tribuendum eſſe. Etenim quemadmodum, legum poteſtate imminuta, earumque terroribus ſublatis, nulla ciuitas quiete, tranquillitate, ſecuritateque facile fruetur, omniaque potius cupiditati, libidini, iracundiae pateant; ſic, qui ad ſcribendum dicendumque accedent, cum ſe intra dicendi artis praecepta

et

et leges nolint recipere, ſed extra eas pro libidine vagari cupiant, ab ambiguitatis et obſcuritatis inſidiis facillime capiantur. Nulla enim oratio, et ſubtilis, et certa, et clara, eſſe poteſt, niſi, quae e praeceptis dicendi artis inſtituatur.

Nam, cum verba omnia, quae vel dicendo eloquamur, vel ſcribendo exprimamus, debeant ſigna eſſe earum rerum, quae mente perceperimus, ea ſane ſigna aut certa eſſe debent, aut nullam habitura ſunt ad alios homines vtilitatem. Nam, niſi ſignum tale ſit, vt trahi ad alium ſenſum nequeat, niſi ad quem nos ipſi direxerimus, eum, cuius cauſa ea omnia fiunt, incertum manere manifeſtum eſt, ſi nulla neceſſitate adigatur vt eadem ratione ſigna noſtra interpretetur, qua nos expreſſerimus, Igitur, ad omnem ſubtilem et accuratam diſputationem legum artis dicendi diligenti obſeruatione opus eſſe apparet. Omnes vero tales leges vel verborum ſingulorum vim conſtituunt, vel neruos oſtendunt, quibus apte oratio intendi et vinciri poſſit.

Et, ad verborum quidem ſingulorum perſpicuitatem, inprimis opus eſt auctoritate eorum ſcriptorum, qui illa aetate vixerunt, qua, quam maxime floruiſſe lingua cenſetur, atque propterea non quaeuis ſignificatio verbo, pro libidine noſtra, affingenda, ſed, a veteribus tradita, retinenda eſt. Hinc non licet, perſpicue ſcribere volenti, antiquis verbis nouam ſententiam, ſine obſcuritatis periculo, ſubiicere. In continenda vero ipſa oratione, ſcriptor debet curare, ne nimis adſtricta turgeat, aut nimia laxitate remiſſa extenuetur. Quae omnia nemo conſequi poteſt, niſi qui leges dicendi calleat. Si itaque, harum rerum, tam vtilium, tam neceſſariarum, ſupina negligentia veſtra, vos inuicem ad pugnas prouocaueritis, quid miremini, ſi ob eam pugnandi licentiam ipſi ridiculi videamini. Nam, dum contorquetis verba pro arbitrio veſtro, quomodo alii, vel vim verbis illatam a vobis eſſe ſcire, aut ſomnia veſtra diuinare poſſint. Igitur, hi quoque, pro arbitrio verbis poteſtatem talem, quae diſſentiendi eorum cupiditati ſatiſfa-

ſatiſfaciat, tribuunt. Sic claſſicum canitur, turgent criſtae, pugna commiſſa eſt. Spectantium vero rabiem veſtram caterua, plaudit, et pugnas riſu eo vſque intendit, donec vterque bene mulctatus e ſcena aufugerit.

Sed hic riſus qui ad ſolos gladiatores debebat pertinere, ad ipſam philoſophiam inique extenditur. Atque verum quidem eſt, olim quoque philoſophos inter ſe diſſenſiſſe, ſed placitis tantum. Nulla vero inter eos animorum concitatio, nulla in contra dicendo aſperitas, nulla in pugnando truculentia erat. Nec caput hominis, nec exiſtimatio, nec fama in periculum deducebatur; nullae in capiendo artes, ſiue potius fraudes, adhibitae, omnia plana, aperta, et ad amicae diſputationis modum, non ad rixae et pugnae ſimilitudinem comparata erant. Eheu vero! quam longe, veſtrae, Viri ſubtiliſſimi, controuerſiae, ab illa priſtina ratione defecerunt!

Si quis enim nouellus videat quendam philoſophum magni nominis rem quamdam

aliter declaraſſe, quam quemadmodum ſibi probetur, ſtatim bellum ei indicit. Omnes copiae deinde captionum, dicteriorum, et ſimilium rerum ad pugnam adducuntur, paullatim ipſa pugna ab ea re, ſuper qua orta erat, deflectit, et ad id, vter doctior, vter clarior, vter maior philoſophus ſit, incenſis animis dirigitur. Inter hos deinceps ducum clamores, ſtridet interdum turba aſſeclarum, quae, tum huius, tum illius, partes amplectitur et voce ſcriptisque tuetur, et feſſa tandem a pugnando deſiſtit, duceſque ſuos deſerit, qui tunc demum ſatis ridiculi e certamine domum redire coguntur.

Philoſophiam, inprimis morum diſciplinam eſſe debere, ſatis conſtat. Ad hoc vero obtinendum, duabus rebus opus eſt, et orationis blanditiis, et exempli grauitate. Id vero, quod primum poſuimus, cum iam fere ſuperiore diſputatione expeditum ſit, paucis tantum attingamus.

Vt

Vt philoſophi gratioſam artem ſuam reddere poſſint, inprimis familiari oratione, quae nec opinantibus hominibus ſe inſinuet, et quaſi improuiſos opprimat, vti debent. Hoc modo Socratem ſalubriter vſum eſſe ſcimus. Nam longa et continua demonſtratione plerumque homines indocti deterrentur. Quo igitur inſtitutio philoſophi magis ad familiaris colloquii ſpeciem demiſſa eſt, tanto maiorem vim ad animos hominum habitura eſt. Id vero, num conſequi noſtrates philoſophi ſtudent? libros ſcilicet effundunt, maximae molis, ſed ſi verum fatendum ſit, tenuiſſimae vtilitatis.

Nam, quibus rebus iſti libri abundant, definitionum ſcilicet immenſo numero, quae ipſis rebus, quarum natura iis declarari dicitur, magis ſint obſcurae, deinde diuiſionum copia, quarum cauſam forte nec ipſi perſpiciant, deinde diſputationibus, de iis rebus, quae nullam ad vitae vſum facultatem vnquam habiturae ſunt, de mundo optimo, de imperio intellectus, cui

voluntas parere debeat, de animi humani in corpus facultate et quomodo hoc ab illo moueatur. Sed quis, in talibus rebus ſtudium conſumere, et tempus perdere audeat, aut quis iis delectetur, et ad cetera capita philoſophiae cognoſcenda inuitetur, aut quomodo haec omnia, vel tenuiſſimam vtilitatem, ad animorum emendationem, afferre poſſe putemus. His ſcilicet rebus, deterreri homines a ſtudio philoſophiae neceſſe eſt, praeſertim, ſi iis verbis incluſae ſint, quorum ſonus fugare quemuis elegantem hominem poſſit. Sed de verbis ſatis, age ad exemplum progrediamur.

Exempli praeſtantia vero inprimis ex animi ſanctitate deſcendit, quae ipſa, officiorum, quae vel deo, vel hominibus debemus, curioſa obſeruatione, declaratur.

Moleſtum eſt dicere, nullum fere genus hominum tam iuſtam alieniſſimi a deo animi ſuſpicionem contraxiſſe, quam ipſos philoſophos. Nolo plerorumque exemplis, ad eam rem confirmandam vti, praeſertim,

tim, cum res ita manifeſta ſit, vt his omnibus non opus eſſe videatur. Philoſophi vero, num non videantur arti ſuae tunc obeſſe, cum deum audent tollere, cum nolint praeceptis iis vti, quae diuinis libris propoſita ſint, cum diſputatione et argumentis, ad infirmanda dei ipſius oracula abutantur? Cum his rebus Theologi adducti ſint, vt cauſam religionis aduerſus philoſophiam ſuſciperent, et non ſatis quidem caute, id, quod paucis philoſophis tribuendum erat, toti philoſophiae tribuerent. Et hoc periculo deterriti plerique homines, ne impii viderentur, philoſophiam abdicarunt.

Enimuero, num forte philoſophi rei diuinae tam infenſi, naturalibus legibus tanto plus tribuant, quanto negligentius diuinas obſeruent? Non magis vero. Nam omnium profecto cupiditatum, in quas ſe imperium putent conſecutos, veſtigia, in philoſophis expreſſa ſunt.

Agitantur quam maxime, honoris, pecuniae, libidinis, arrogantiae ſtimulis, perfidi

ſidi ſunt, loquaces, garruli, impoliti et ſubruſtici, vt adeo mirum eſſe non debeat, ſi ad hanc contemtus calamitatem ſe Veſtra culpa philoſophia decidiſſe queratur.

Si igitur priſtinam dignitatem philoſophiae reſtituere cupiatis, ante omnia humaniori oratione vobis opus eſt, deinde iis moribus, quibus ceteri homines poſſint ad amplectendum Philoſophiae ſtudium inuitari. Hoc vtrumque vobis Philoſophia, cuius cauſam egi, commendat, et nullo, niſi hoc modo ſperat, ſibi priſtina decora reddi poſſe.

FRAGMENTVM ANONYMI SCRIPTORIS

DE INCREDIBILIBVS HISTORIIS

NVNC PRIMVM EDITVM

PRAEFATIO.

Non veremur, ne ingratum futurum ſit, quod, ſeruatum ab interitu, tinearum muriumque fame, in praeſenti publicae vtilitati reddimus fragmentum. Nam nec eſt omnino vetus, nec omnino nouum. Poterunt igitur ferre, tum hi, qui ad doctrinae commendationem, vetuſtatis, ſitu ſqualoreque expreſſas, notas, exigant, tum illi, qui ab omni vetuſtate, prae nouitatis deſiderio, abhorreant. Hi enim non recuſent facile in nouorum librorum claſſem collocare, hoc ipſo ſeculo ſcriptum; Illi contra, cum libro redeant in gratiam, quem latine ſcriptum, ante quinquaginta fere annos, intellexerint. Sed, vt ipſi lectores facilius poſſint de hoc fragmento iudicare, quomodo ad nos peruenerit, paucis nunc exponemus.

Fuit in vicinia ludi magiſter quidam, probus et modeſtus homo, multiſque clariori-

rioribus viris, doctior. Is, quantum e tenuiſſimi muneris reditibus poterat, bonis libris emendis collocabat, eorumque, ſi facultates viri ſpectes, numerum non contemnendum coëmerat atque paucis ante obitum ſuum diebus, condito teſtamento Paſtori pagani fidelium gregis, hos libros ea conditione legauerat, vt, omiſſa ſolemni alias funebri laudatione, teſtatoris elogium aliquod publicaret. Hic vero, quamuis non multum curaret libros, noluit tamen legatum deſerere, ne indoctus paganis ideo ſuis videretur. Igitur inuitus fere recepit. Sed, cum inſtaret heres, impleri que conditionem poſtularet, primo quidem, feriarum moleſtias, mox morbum, deinde meſſem, alio die partum vxoris, denique alias non minus graues cauſas praetendit. Ille vero, non falſo ratus, multum, tum honori teſtatoris, tum animae eius tranquillitati non impletam conditionem obeſſe poſſe, coepit minari, ſe, propter non impletam conditionem, id, quod legati nomine tradidiſſet, repetiturum eſſe. Dum vero coepit paſtor, toto corpore trepidare,

et

et ſe titubantem, ad ſcribendum conferre. At cum, praeter admodum canoram vocem, nullum in eo veſtigium vllius eruditionis relictum eſſet, male coeptus labor ceſſit. Pagus vero iſte, in quo ſacra curabat, amoeniſſimus, omnibuſque fere beneficiis naturae exornatus eſt. Etenim verſus orientem flumen decurrit: ad occidentem campus centum pagis et vrbibus diſtinctus patet, verſus ſeptentrionem denſiſſima ſilua obducitur, et a meridiani ſolis calore, montium aggeres incolas defendunt, vt propterea ſolemne ſit e noſtra vrbe pleriſque, ad eum ſuauitatis cauſa diuertere, quod cum ego quoque aliquando feciſſem, forte mihi paſtor hic oblatus eſt. Ita pallebat et tremebat, vt a nuperrimo morbo reſtitutus videretur. Coepi igitur ex animo ei redditam valetudinem gratulari. Mirabar vero, cum ingemiſcens mihi reponeret, ſe nullo morbo, qui corporis vires infregerit, nouiſſime affectum fuiſſe, at contra legati cuiuſdam teſtamento relicti, duriſſima conditione adhuc premi. Tunc ego ridens quaeſiui, num ei dona et legata tantopere

incommodent. Ille contra faſſus eſt, ſe lubenter legato cariturum fuiſſe, ſi per ſe ipſum ſtetiſſet, vt modo a conditionis onere immunis relinqueretur; ſed verendum ſibi fuiſſe, ne forte pagani, natura ſua ſuſpicioſi homines, poſſent cauſam neglecti legati, ſuboſdorare, et forte in litterarum ac eruditionis temeritate, cum auctoritatis ſuae apud eos detrimento, requirere. Deinde mihi expoſuit, quale legatum eſſet, et quot libros ab eodem accepiſſet: ea vero narratione incenſus ſum cupiditate, hos libros videndi: oraui igitur virum, vt mihi eorum copiam faceret, quod is mihi facile dedit.

Ad tabulatum mihi domus aſcendendum fuit, ibi aliquot centurias librorum ſine ordine diſiectorum conſpexi. Dolui vicem eorum, et coepi de pretio quaerere, ille vero noluit quidquam, ſuper ea re, ſtatuere, niſi impleta ante conditio fuiſſet. Tunc, demto conditionis facta mentione, rogaui hominem, vt mecum tam arduam rem communicaret, forte in me aliquid ſpe-

turum

tutum esse, quo succurrere eius anxietati possem. Quo facto sic exorſus eſt: „Iam „per octo annos ſacra in hoc pago curaui, „atque per hoc tempus ab omni litterarum „ſtudio abduxi animum, ſatius exiſtimans „in agricultura collocare tempus, quod a „negotiis vacuum eſſet, quam in littera„rum ſtudiis male conſumere. Nec vn„quam huius rationis poenituiſſet, niſi te„ſtamentum, quo libri mihi legati ſunt, „ſcribendi mihi elogii neceſſitatem impo„ſuiſſet. Atque, vt ingenue fatear, quid „elogii nomine veniat, ignoro, nec potui „in Lindnero meo, quem ſexcenties, ſu„per ea re, conſului, vllum verbi veſti„gium reperire. Quomodo igitur putes, „me conditione ſtare poſſe, cuius natu„ram non perſpiciam". Dum iuſſi, bono animo eſſe, et ſimul, quaecunque memoria de elogiorum ſcribendorum artificio ſuppeteret, expoſui.

Ille vero, his cognitis, altius ingemuit, ſeque imparem conditioni ſuſtinendae palam profeſſus eſt. Ego contra oppoſui, nihil

intereſſe, vtrum ipſe, an alius, cui hoc detuliſſet, ſcriptoris munere fungeretur.

Hoc ei probabatur, rogauit ideo, vt ipſe, ſi placeret, tale elogium componerem, ac mercedem ſcripturae, librorum (quos ipſe poſſem optare) numerum pollicitus eſt. Hoc pacto conuenimus. Scripto elogio, mihi lubentiſſime librorum promiſſorum copiam fecit. Inter ceteros hic Codex quoque, cuius in praeſenti ſpecimen quoddam edimus, ad nos tranſiit. Eſt is in Charta, manu, ſine dubio, ipſius auctoris, ſcriptus, Litterarum figurae ſaepe negligentius expreſſae ſunt, quam vt legi omnes ſine difficultate poſſent. In fronte libri, quae XII. capitibus narrare auctor conſtituerat, Index declarat, hic ſubiecimus.

I. De modeſto quodam philoſopho.

II. De victoris cuiuſdam moderatione.

III. De Theologo liberali.

IIII. De milite non glorioſo.

V. De Inſula Litterata.

VI. De controuerſia quadam, inter duos doctos homines, ſine omni acerbitate, tractata.

VII. De iudice dona recuſante.

VIII. De foenore, a foeneratore reſtituto.

VIIII. De vrbe, in qua nemo, ad munera obeunda, niſi iisdem digni, vocantur.

X. De ſcriptore, ſine immortalitatis adfectatione.

XI. De iudice litterarum, ſine partium ſtudio.

XII. De magni Critici, apud Sinenſes, a propria laude abſtinentia, et in reprehendendo humanitate.

In ſeptimo capite codex deficit, ita vt ipſum opus magis adfectum, quam perpo-

litum et absolutum fuiſſe videatur. Speciminis loco nunc quintum caput edimus, in quo ſumma fingendi licentia ſcriptor vſus eſſe videtur. Vt vero rei vniuerſae maiorem fidem conciliemus, id ipſum elogium, quod paſtoris nomine ſcripſimus, adiecimus. Quod tanto facilius a nobis fieri potuit, cum ipſe paſtor nuper ab omni litterarum moleſtia, beata morte, exemtus ſit.

II

CAPVT QVINTVM

INSVLA LITTERATA

In Italico mari, Inſulam aliquando fuiſſe, eique, quod ad litterarum vtilitatem omnes eius leges inuentae viderentur, Litteratae nomen contigiſſe, atque euentus felicitate, legiſlatorum prouidentiam compenſatam eſſe, accepimus, de qua, quae nobis innotuerunt, in praeſenti referre animus eſt.

Ac primo quidem iſtius Inſulae leges neminem in ea commorari paſſae ſunt, quin vel ad litteras diſcendas ac amplificandas aptus ingenio videretur, vel doctorum hominum neceſſitati manuum operis inſeruire poſſet; horum tamen numerum ad centum modum redegerunt, ne ad ludicras et voluptarias artes exercendas inopia adigerentur.

Princeps legum in omnibus, qui litteras in ea inſula cuperent exercere, animi honeſtatem requirebat, nec laudem ingenii vllam concedi volebat, niſi iis, qui ſe pios

et obſequioſos erga deum, humanos et indulgentes erga ceteros homines probaſſent: Omnes porro litteras magis ad oſtentationem inuentas, quam ad publicam ſalutem comparatas proſcribebat. Huic legi quoque tribuendum eſt, quod Anacreontis ſimiis, quamuis ſuauiſſime de Baccho et Venere ſomniantibus, honos habitus eſt nullus, cum eos poetica facultate, qua acui virtutis apud homines ſenſus debeat, abuti ad excitandam libidinem cenſerent.

Litterae, quas publice diſcere et profiteri ius erat, vel debebant dei reuerentia homines implere et ad emendandos animos eorum virtutiſque ſtudio imbuendos conferre, vel publicam ſalutem et vitae commoditates amplificare. Ceterae omnes obmuteſcere cogebantur.

Neque vero pueris, pro ipſorum libidine, litterarum ſtudia amplecti, vel quoddam genus ex iis deligere, licebat. Tributos dabant in diſciplinam, non eorum, quos forte fortuna obtulerat, ſed quos ſumma

ſumma ſollicitudine e pleriſque ideo eligebant; magiſtrorum vero munus nec paruum aut indecorum, ſed honorificentiſſimum putabatur. Non immerito enim rati ſunt ſummam deberi reuerentiam iis, quorum fidei tot futurorum ciuium ſalutem tuto committi poſſe exiſtimaſſent. Hinc iis primus locus vbique patebat, lautiſſimiſque ſtipendiis alebantur. Neque vero hoc munus ambire licebat vlli; cum, qui ad illud obeundum vocatus eſſet; tale fidei, integritatis, doctrinae, humanitatiſque publico nomine teſtimonium accepiſſe videretur, quale nemo, ſine ſummae arrogantiae ſuſpicione, poſcere poſſet.

Qui vero, tam honeſtam conditionem recepiſſent, curioſe elaborabant, vt pueris pietatem erga deum, animique honeſtatem, tanquam ad vitae felicitatem neceſſarias virtutes acerrime commendarent: neque iis ſatis erat, memoriae diſcipulorum, quaſdam praeſtantiores diuinas humanaſque ſententias impreſſiſſe, ſed ſtudioſe conabantur efficere, vt illi ipſius pietatis virtu-

tiſque ſuauiſſimo ſenſu affecti, deum tanquam omnium beneficiorum, quibus homines vtantur, fontem et auctorem amare, colere et obſeruare, cuperent; virtuti vero ideo operam darent, quod ſine ea nemo, quamuis omnibus rebus humanis abundans, felix eſſe poſſit.

Deinde ad id quoque omnem ſuam inſtitutionem ſapientiſſime dirigebant, vt diſcipulos ſuos huius opinionis ſpiritu ad bene facta animarent, et erigerent: Non nobis ſolis ſed rei publicae et ita viuendum eſſe, vt rationes noſtrae, vel maxime Deo poſt mortem, deinde etiam iis poſſint probari, cum quibus viuamus. Homines ſibi inuicem exactores ac teſtes recte factorum eſſe conſtitutos, iſtorum conſcientia tranquillitatem animi, quae ſit ipſa vera felicitas, contingere. Nominis celebritatem et immortalitatem nullam optabilem bono viro eſſe debere, praeter eam, quae benefactis rependatur, omnem reliquam communem et diuturnam infamiam habendam eſſe. Nihil ſanctius doctis viris veritatis ſtudio ſer-

ſeruandum magiſque decorum eſſe, ſi quis ſe eius nomine in viam patiatur reduci; quam ſi monitorem forte ſuum ſubtilitate captioſa et clamore ſuo inde ſecum abduxerit: Tanto quemque maiori et excelſiori animo eſſe, quanto ad emendanda, in quibus errauerit, promtior reperiatur. Mendacii genus et mali animi ſignum eſſe, ſi quis, inanis gloriolae cauſſa, in tali litterario certamine immeritam victoriam fraudibus audeat extorquere, et vera dicenti aduerſario nolit cedere.

Vniuerſa Inſula a Decemuiris regebatur, quorum ne vnus vnquàm, quamuis nullius ſacramenti religione reipublicae adſtricti eſſent, fidem fefellit. Iusiurandum enim in malo homine non multum ponderis habere, in bono contra animi ſanctitatem ſufficere exiſtimabant. In deligendis Decemuiris nulla generis ratio habebatur; ſolam virtutem nobilitare homines putabant. In iis vero, ad quos reipublicae regendae onus cupiebant deferre, fidem, frugalitatem, temperantiam, patientiam humanitatemque

eamque requirebant. Si quis vel iracundus, vel immoderatus, vel laboris impatiens, vel appetens diuitiarum eſſet, ei omnino a reipublicae gubernatione interdicebant. Stato ſingulis menſibus die, unuſquiſque adire rectores inſulae, et ad eos de omnibus poterat referre, quibus augeri commoda florentque inſulae ſperaret poſſe. Sed debebat hoc modeſte fieri. Nam ſi quis forte auſus eſſet immodeſtius vituperare vel arguere decemuiros, per aliquot dies carceri ſpeculato includebatur, cuius miniſterio ad ſui ipſius notitiam peruenturum ſperarent. Putabant enim neminem poſſe ad ſimilem temeritatem deficere, qui propriam imbecillitatem antea ſatis perſpexiſſet.

Poenae non niſi in atrociſſimis criminibus corpus excruciabant. In eos vero, qui tale quid commiſiſſent, quod magis ab animi malitia, quam imprudentia profectum eſſe videretur, exilium ſtatutum erat. Aduerſus has legum poenas, ne quidem in parua-

tum

tum meritis, aut precibus et lamentationé, aliquid praeſidii poterat inueniri.

Hac vero opinione omnes regebantur, e parentum meritis et fide nullam ad filios commendationem deriuandam eſſe. Si quod parentes pro republica damnum eſſent perpeſſi, id, ſi poſſit, reſarciendum filiis eſſe, Ceterum his nihil deberi. Vnumquemque hominem, proprio ingenio propriisque facultatibus cenſendum eſſe. Id que huic reipublicae ſaluberrimum fuiſſe apparuit, cum tanto vehementius plerique optarent imitari et attingere imo ſuperare paternas laudes, quanto minus et negligentius id ipſum curetur ab iis, qui ſe praeter paternas laudes nulla commendatione inter populares ſuos indigere ſciant.

Res libraria ſapientiſſime ordinata erat. Quod ipſi Librarii honeſtiſſimi viri erant, qui in libris, quos ſuis ſumtibus publicarent, magis communem litterarum vtilitatem, quam lucri proprii ſpem reſpicerent. ne vnus eorum inuentus eſt, qui quo faci-

lius

lius laſcivum, lubricum, aut impium librum in publicum protrudere poſſet, legum auctoritatem malis artibus infirmare auſus eſſet: Nam leges tales libros non ſinebant in ipſa inſula naſci, qui vero aliunde allati eſſent, ad primarium librarium deferendi erant, qui commodare legendi gratia, imo vendere ea conditione poterat, ſi nomina lectorum aut emtoris magiſtratibus denunciaſſet. Qua ratione, cum indecorum vulgo haberetur tempus tam futili lectione perdere, aut pecuniam tam male collocare, legendorum emendorumue eius generis librorum cupiditas, in pleris que exſtincta eſt. Contra impios libros, ſi forte, quod raro accidebat, innotuiſſent, nemini, niſi, cui id rectores inſulae demandaſſent, ſcribere licebat; quod ineptum optimae etiam cauſae defenſorem, magis eidem nocere, quam prodeſſe, arbitrarentur.

Controuerſiae inter doctos homines in hac quoque inſula agitari poterant, imo quod litteris prodeſſe cenſebantur data ope-

opera excitabantur, in quibus tamen nihil detrahi litterarum dignitati, diſceptantium iniquitate aut humilitate, debebat. Qui in aduerſarium dicteria et iocos, aut, quod turpius eſt, crimina coniecerat, ei aqua et igne interdicebant, rati, nil minus doctis viris, quam talem acerbitatem, conuenire.

In muneribus conferendis, aetatis, familiae, maiorum, paupertatiſue commendatione nunquam ſe patiebantur moueri. Qui ſufficere muneri poſſe videbatur, ei, vel non petenti vltro offerebant. Quare nunquam accidit, vt quis eam artem, quam docere alios iuſſus eſſet, ignoraret aut diſcere deberet.

Omnium bonorum virorum memoriam ſtudioſiſſime conſeruabant, et quicunque viuus virtuti operam dederat, is iure ſuo, poterat ſperare, nomen ſuum ad poſteros peruenturum eſſe. Id vero omnis generis hominibus, ſine vllo diſcrimine, doctis ac indoctis, diuitibus et pauperibus, in re lauta et tenuiſſima, concedebatur: Quare

ſutoris cuiuſdam, Paedophili, nomen ab omnibus colebatur, qui ſeptem filios tam prudenter educauerat, vt ſingulari ornamento inſulae fierent, matrem vero, quamuis vetulam et rixoſam, ſumma pietate proſecutus fuerat, tantaque liberalitate, quantam ſuae facultates admitterent, aluerat, vt facilius ſibi liberiſque aliquid, quam illi de quotidiano victu detraheret.

Librorum editorum multitudine nemo laudem merebatur, niſi tales eſſent, ut ſinguli ad nominis commendationem ſuffeciſſent. Qui ſe ipſum viuus impotentius laudauerat, eius nomen obliuioni committebatur, poena in eos propoſita, qui mentionem talis hominis feciſſent. Hoc modo modeſtiae ſtudium fere omnibus doctis hominibus in ea inſula communicatum eſt.

Riſum mouebat, quicunque ſectae ſtudio flagraret. Omnibus enim perſuaſum erat, vnumquemque hominem ſuo iudicio ſtare debere, qui id nequiret, eius aſſenſum nihil efficere. Si quis exiſtimationi aliquid detrahere conatus erat eorum,

rum, qui in eodem, quod ipſe amplexus erat, litterarum, vel vitae, genere elaborarent, is ideo ſuſpectus omnibus fiebat, et ab omni munere, quod fidem requireret, arcebatur. Puſilli enim animi videbatur, inuidioſe deprimere alios, vt ipſe maior videri poſſis. Aliorum iudicio ſtatuendum eſſe, quis praeſtet? quis doctior, quis ſagacior ſit? quis felicius morbis medeatur, quis prudentius clientibus caueat, elegantius ad populum verba faciat.

Praeceptorum reuerentiam, etiam e diſciplina dimiſſis, ſeueriſſimis eam in rem poenis inuentis, commendabant leges. Qui praeceptorem male habuerat verbis, in perpetuum carcerem coniiciebatur. Quod etiam accidebat iis, qui, quae ab aliis didiciſſent, nollent confiteri. Vtrumque turpiſſimum, eosque in republica ferendos haud eſſe rati ſunt, qui obliuiſci ſummorum beneficiorum, et detrahere aliorum meritis, ad augenda ſua, ſuſtinerent.

Plagiariis ſiue litterariis furibus in fronte nomen inurebant eius, cui eripere meritam laudem, fraude ſua, conati fuerant.

Feminis ſolidioris doctrinae vſum non concedebant, quas rei familiari, liberorumque educationi et valetudini inprimis prouidere vellent, nec nubere viro elegantiori ſinebant tales, quae ingenium plane non poliuiſſent, quod viros elegantes vxorum ſtupore facile ad adulteria crederent compelli, ideoque in feminis volebant acui iuſti et iniuſti ſenſum, ſcribendi porro, exercitatione, facultatem; praeterea non immerito adigebant filias honeſtiorum et ditiorum parentum ad Hiſtoriae, Geographiae et Muſices praecepta cognoſcenda, quod in his, non ſolum ad animum notitia rerum diuerſarum,inſtruendum,vtilitas, ſed honeſtiſſima quoque in otio ſuauitas, propoſita videretur.

Vitae mortuorum plerumque deſcribebantur, viuentium vero narrare nefas habebatur, quod raro in iſtis adulationi locus non ſit. Mortuorum vero vitas ita narrare oportebat, vt omnia eorum recte aut minus recte facta enumerentur. Laudibus ſcilicet recte factorum alios ad imitationem incitabant, minus vero recte facto-

rum

rum commemorationem ideo fieri volebant, vt alii ſibi cauere a cupiditatum laqueis diſcerent, ſi bonos et probos viros iſtarum fraudibus decipi potuiſſe cognouiſſent.

Monumenta in honorem mortuorum publico ſumtu erigebantur, priuato exſtruere ne licebat quidem, quod dicerent: laudem non venalem eſſe oportere, eamque meritis vltro offerendam, immeritis, qui eius potiti eſſent, auferendam eſſe. Praemium virtutis non videri, quod ſceleſto quoque homini, qui diues ſit, contingere poſſit. Poſt mortem homines non divitiis ſed virtutibus cenſendos eſſe, hoc ſatis eſſe, quod lautius viuere nummoſi homines queant, mori beatiores non debere.

Morte puniebatur, quicunque, vel clam vel publice, dei naturam tollere voluiſſe conuinceretur. Non immerito enim ſuſpicabantur, ad omnia ſcelera talem compelli poſſe; qui nulla dei reuerentia contineretur. Neque magis ferebant, ſi qui libris diuinis ad iocos abuterentur, eoſque repetitis venae ſectionibus ſolebant ad mentis ſanitatem reuocare.

Viros corporis cultum nimis muliebriter affectantes, gynaeceis anicularum putridarum includebant, immundos et foedos non niſi per noctem exire patiebantur.

Inter omnia ſcelera maxime infame erat, ſi quis ingenuam virginem, matrimonii ſpe facta, vitiauerat, eamdemque ducere in matrimonium detrectaret; tales reos ad perpetuos carceres condemnabant, bona vero eorum puellae addicebant.

In litibus definiendis legum verbis iudices preſſius haerebant, quod omne ius ambiguum putarent, quod arbitrio iudicum ſit relictum. Qui litem, ſine idonea cauſſa, excitauerat, infamis habebatur, et ad inculta inhoſpitaque loca inſulae relegabatur. Cauſarum patroni, qui cauſam, cuius perſpexiſſent malitiam, defendere ſuſtinuerant, necabantur, quod nemo ferri ſine periculo in republica poſſit, qui vel fraudibus, vel vi, alios homines adoriatur.

III

MARTINI CRISPI

LVDI CVIVSDAM PAGANI
NVPER MAGISTRI

ELOGIVM

A CYRIACO AGRICOLA
EIVSDEM PAGI PASTORE
PVBLICATVM

Martinus Criſpus, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo natus eſt. Cum res familiaris patris, agriculturam facientis, tenuiſſima eſſet, vix ſeptennis puer, anſerum ouiumque paſtura, victum ſibi quaerere coactus eſt, in quo, cum ſeruatis, e ſacrilegi cuiuſdam hominis rapacitate, anſeribus quibuſdam, ludimagiſtro pagano fidem ſuam probaſſet, ab eodem in diſciplinam ſimulque, ad campanarum ſonum regendum, quod illi propter ventris venerandam molem difficulter ſuccedebat, in muneris quamdam ſocietatem receptus eſt. Atque ſtatim ea communis, qua cum reliqua pagana iuuentute fruebatur, inſtitutio, ita feliciter ceſſit, vt maiorem curam in noſtro collocari debere non immerito magiſter paganus crederet, noſtroque impertiret omnia, quaecunque, e ſuperioris doctrinae naufragio, ſeruata eſſent. At, cum pueri auiditas litterarum, tam tenui victu non poſſet ſatiari, idem mox a pagano ma-

giſtro in affinis ſui, qui ſcholae cuidam vrbanae rector praeerat, diſciplinam commendatus eſt, qua Criſpus etiam, non quidem iſtius rectoris merito, ſed commilitonis cuiuſdam fide, feliciſſime vſus eſt. Rector enim iſte, Conſulis eius ciuitatis, ex ancilla filius, ignorabat omnia, quaecunque in tali viro inprimis requiras, et muneri ideo admotus vulgo putabatur, vt ex iſtius reditibus alimenta filio conſularis pater, ſine proprio ſumtu, praebere poſſet. Nec tamen omnino perditus iſte rector erat; inſidebat enim homini, mira, in talibus, propriae imbecillitatis conſcientia, qua cum ſe ſine famis periculo abdicare a rectoratu non poſſet, ad alendum diſcipuli nomine, quemdam non indoctum iuvenem adigebatur. Hic ei verba, in graecis latiniſue ſcriptoribus, quos explicare iuuenibus deberet, obuia, declarabat, materiam progymnaſmatum ſuppetebat, et quae a iuuenibus ad emendationem traderentur, corrigebat. Contigit igitur noſtro, vt ſibi iſtius iuuenis, qui eo tempore rectoris inſcitiae conſuleret, animum ita conciliaret,

vt

vt hic ea beneuolentia ductus, noſtrum pleris que horis priuatim inſtitueret. E qua diſciplina Criſpus, poſt quatuor annos, ad academiam tranſiit, ſumtus, ad eam rem neceſſarios, eodem ludi magiſtro, cuius ſupra laudabilem mentionem fecimus, offerente. In Academia litteris diurnam nocturnamque operam dedit, eoſque inprimis doctores ſecutus eſt, qui, non tam numero auditorum, quam fidei et doctrinae nomine excellerent, a quibus ita feliciter per triennium inſtitutus eſt, vt nullo deinde duce litterarum indigeret; Neque vero, cum poſtea benefactoris iuſſu ad ludi magiſterium capeſſendum, cui ille, propter valetudinem, non amplius ſufficiebat, fere inuitus compelleretur, ea muneris tenuitate permotus eſt, vt litteras desereret, quarum ſuauitas, aduerſus omnes fortunae iniurias, certiſſimum ſolatium ipſi videretur polliceri.

Quod autem Noſter in tanta litterarum copia, qua ſine dubio abundabat, tam tenui munere contentus erat, id vero amori tribuen-

en-

endum eſt, quo veteris ludi magiſtri filiam proſequebatur, cuius, niſi muneris oblatam conditionem recepiſſet, potiri non potuiſſet. Neque vero contigit noſtro, vt Phyllidem ſuam, cuius cauſa ſe paganis pueris deuouerat, domum poſſet deducere; antè nuptias enim ſponſa obiit, ſuaeque mortis acerbitate Criſpum, ab omni matrimonio poſtea ineundo, abalienauit, libris vero fortius adſtrinxit. Atque ea lectionis adſiduitate, tantum in plerisque litterarum partibus profecit, vt doctrina eius etiam eruditionem multorum videretur ſuperare, qui propria profeſſione et conſenſu plerorumque docti habeantur. Non minor vero modeſtia, quam doctrina inerat Criſpo, vt adeo, quos per otium componeret libros, nomine ſuo nollet publicare, lubentiusque laude eruditionis ſuae perfrui pateretur, vel hos, qui vt digni Academici doctores videantur, publica, quamuis immerita doctrinae commendatione, indigerent, vel alios qui inuiti ad capiendos academicos honores, ſcribendaſque diſſertationes abriperentur. Ex ea tamen modeſtia, ſummam ſuauitatem

tem

tem Criſpus capere potuit, quando ea, quae ipſe in infimo gradu conſtitutus ſcripſerat, non indigna haberi iſtorum faſtigio videret, quorum nominibus libros ſuos donaſſet. Etſi vero ſaepe hoc modo aliorum vel ſtupori vel ignauiae opitulatus eſt, laudis tamen poſſeſſionem, viuentibus conceſſam, mortuis nunquam voluit eripere.

Inter reliquas litteras, Theologiam ſtudioſiſſime et fere ſuperſtitioſe tractabat; Nam coniungebat, cum illius ſcientia notitiam innumerarum rerum, quibus facile Theologi carere poſſunt, et pauci delectantur, magis, quam indigent, ſed contra tanto fortius a re ruſtica eiuſdem animus abhorrebat, quanto vehementius ad artes a natura compelleretur.

Libros fere nunquam, niſi vrgente muneris neceſſitate, e manibus dimiſit. Sed quamuis ſciret multa; quae, tum ipſe ego, tum alii boni viri, ignorent, nunquam tamen iactare doctrinam ſuam, aut eius conſcientia extumeſcere ſolebat. In colloquendo mo-

modeſtiſſimus erat, adeo quidem, vt interdum vocem nimis, quam pro pagorum ratione, demitteret. Vox enim aliquantum accuſatoria et fortis vnicuique orationi fidem afferre contra nimis mollis detrahere videtur.

Pueros quam diligentiſſimè docebat, maioremque operam iis erudiendis dabat, quam pro muneris ratione deberet, quod ego quidem ſaepe non immerito miratus ſum, qui nihil vltro faciundum putaui, ne noua onera forte muneri adcreſcerent. Noſter vero, quamuis ſaepe ideo a me monitus, hoc minus curabat, delectabatur enim aſſiduitate puerorum ingenioſorum, iisque tantum temporis, ſine vllius lucri aut praemii ſpe, lubentiſſime tribuebat, quantum ipſi vellent, eaque patientia effecit, vt plerique e ſua diſciplina poſſent ad academias progredi. Quod ipſum mihi tamen nunquam probatum eſt. Nam ſi multi litterarum cauſſa abeunt, multis quoque nuptiarum, baptiſmorum, funerumque ſportulis priuamur. Qui corpus ad agricul-

turam

turam, remque vniuerſam ruſticam applicant, mature vxoris ducendae conſilium capiunt. Sed quid ad nos a doctrina iſtorum? Laus forte toti pago ab eorum celebritate tribuetur: Digna aliis profecto et inuidenda felicitas laudari! Mihi non aeque: Vana eſt gloria ſi ventriculus ſtrenue latret.

Sed redeundum eſt ad Criſpum. Libros coëmerat complures, quorum multitudine e vita ſublatus eſt. Nam mane legebat, et ſub veſperam legebat, et nox eum legentem opprimebat. Quid mirum? ſi tam conſtans lectio et muneris moleſtiae vires abſtulerunt. Hypochondriorum morbo iam multis abhinc annis afficiebatur, ſed nec hic monitor poterat a lectionis pertinacia auocare. Igitur auctus eſt morbi impetus. Infractae vires, ad corpus debilitatum tandem tabes acceſſit, Criſpumque ſexagenarium extinxit.

Ego vero, quamuis multorum mihi peccatorum conſcius ſum, hoc tamen certus ſcio, mihi lectionis incontinentiam mor-

tem

tem allaturam non eſſe. Libris valedixi omnibus, tracto tres aut quatuor, quibus ob muneris rationem nequeo carere. Sed quoque eam ob temperantiam lynteis adhuc vtor oculis, nulloque hypochondriorum dolore ſpiritus iter mihi praecluditur.

Scripſi in pago X *****

CYRIACVS AGRICOLA
PASTOR LOCI

REX

REX ET PHILOSOPHVS

NARRATIO

P

Fuit ante multa ſecula rex, qui, quod bene imperare populo ſuo cuperet, veritatis ſummo deſiderio teneretur: cui aliquando Philoſophus quidam, (tales enim homines fouebat in aula ſua,) cum quo de ſtudio veritatis diſſerebat, ingenue profeſſus eſt, ad reges fere nunquam veritatem perrepere poſſe, quod ei a fraudibus amicorum, metu ſceleſtorum hominum, blanditiis adulatorum, ſcurrarum paraſitorumque ineptiis omnis ad reges aditus praeclusus et obuallatus eſſe videatur. Rex contra ait: non in aliis hominibus, ſed in ipſis regibus plerumque culpam quaerendam eſſe; qui nollent verum videre, quod ipſis veritas incommodet. Pleroſque eorum magis regi quam regnare, ac cupiditatibus indulgere, quam prouidere populorum ſaluti, malle. Philoſophus vero a ſententia noluit diſcedere, ſunt enim pertinaces homines philoſophi, regeſque culpa voluit eximere. "Regibus ſcilicet nemi-

„nem facile repugnare, quodcunque reges „dicant, id ceteros ſtatim recipere: Quem „rex laudet, eundem admirari et extollere „omnes.

Hac oratione rex inuitatus eſt, vt hominem quendam, cui, quod vulgo, nec falſo, mente captus putaretur, magiſtratus prouidentia curatorem adiunxerat, die quodam, quo magnus principum hominum ad aulam concurſus fieret, ad ſe perduci curru regali curaret. Statim vt vidit rex Suram, (hoc nomen erat homini,) aliquantiſper, eius recipiendi gratia, proceſſit, familiariterque allocutus eſt. Id vero, cum quotidie deinceps fieret, nemo eorum, qui in aula eſſent, dubitare auſus eſt, Suram regi gratiſſimum eſſe. Et quis aliter credet? ſi videat Suram quotidie ad aulam venire, a rege blande excipi, honoribus et diuitiis augeri, menſae regali accumbere, atque cum rege occluſis foribus, per pleraſque horas ſolum verſari? aut quid maius et optabilius contingere in aula poſſit? Igitur Sura, ineptus antea

Sura,

ſura; inſulſus antea Sura, ſtupidus et inficetus Sura, ſubito totius aulae eum metuentis conſenſu Sapientiſſimus, Excellentiſſimuſque Sura, Vindex Iuſtitiae, Stator litterarum fugientium, Muſarum praeſes, Maecenas eruditorum hominum, regis beneuolentia, intra vnum menſem euaſit, cum tamen ne ſigna quidem litterarum internoſcere, aut nomen ſuum ſcribere poſſet.

Poſtquam ad eum modum Surae exiſtimationem creuiſſe Rex intellexerat, coepit e potentiſſimis in aula ſua viris, in primis iis exquirere, cum quibus ſe olim de Surae ſtultitia collocutum eſſe recordabatur: Quomodo Sura ipſis probaretur, iſti ſine mora vno ore omnes immoderatis laudibus Suram extollunt, laudant regis elegantiam, conueniuntque vnum Suram totius aulae ſapientiam aequare. Tandem vero, cum rex omnes expiſcatus eſſet, omniumque animis parem perfidiam et mentiendi prae metu facilitatem inſidere intellexiſſet, tandem, reuerſus ad eundem

Philoſophum, acriter conqueſtus eſt, de tam dura regum conditione, quae eos tot fraudum laqueis contineret.

„Ita eſt: inquit Philoſophus, ceteris ho-
„minibus non raro inuitis obtruditur veri-
„tas, quae regibus cupientibus negatur, ſed
„hi tanto vehementius debent illam appe-
„tere, quanto eoſdem videatur acrius
„fugere.

PRO

PRO THEOLOGORVM

SALVTARI A LITTERIS ABSTINENTIA

AD VIRVM CLARISSIMVM

GEO. GODOFR. ZEMISCH

ARTIVM MAGISTRVM

NOVELLVM

EPISTOLA

GEO. GODOFR. ZEMISCH
S. D. P.
FRIDERICVS PLATNER

Etſi puto, Vir Clariſſime, me non omnino fruſtra elaboraſſe, vt, quam grata et accepta mihi ſint omnia, quibus Tua commoda augeantur, verbis Tibi factiſque teſtificarer: hodie tamen, in omnium Tuorum tanta congratulatione et laetitia, me aliter affectum eſſe, non plane negaverim. Etenim, quamuis illi, quod Te, Philoſophiae Artiumque honores ſummos ex merito Tuo, et cum fauore omnium, videant capeſſere, ſatis profecto probabilem voluptatis ſuae cauſſam; auctam apud omnes Tui exiſtimationem; ſpei in Te collocatae exitum: publicumque doctrinae praemium Tibi tributum: poſſint allegare; me tamen non facile ab iis ad talis gaudii ſocietatem perduci patiar, quod Te ab his

ipſis honoribus in tantum periculorum et moleſtiarum turbinem ſubmergi videam, e quo, niſi celerrime adiutus, ſeruari deinceps non poſſis. Atque ſi verum eſt, tanto magis metuenda pericula eſſe, quanto minus ea a nobis praeuideantur, nihil profecto eſt, quod Tibi metuere ab his honoribus non debeas, cum ab omni mali ſuſpicione ita alienus ſis, vt et mihi indici quae imminere capiti Tuo videam, periculorum vix fidem habiturus ſis, niſi tot illorum notas et omina Tibi enumerem, quot Te longius dubitare non ſinant.

Princeps vero omnis calamitatis, quae Tibi impendet, cauſſa, in hoc errore, a quo alios quoque nonnullos Tecum captos eſſe, intelligo, mihi quaerenda eſſe videtur, quod Theologiam, ſolam ad laudem et nominis celebritatem ſufficere non poſſe, aliarumque litterarum, cum ea nullo vinculo coniunctarum, ſplendore ad illuſtrandos cultores ſuos indigere exiſtimatis. Vnde fit, vt qui probabiles Theologiae ſtudioſi velint haberi, ante, quam ad ipſam

Theo-

Theologiam progrediantur, omnes fere reliquarum litterarum circuitus pererrare, et tandem demum confecti itinerum moleſtiis fractique viribus, in hac quaſi tantum conquieſcere velint. Quod ſane turpiſſimum eſſe, et Theologiae dignitati parum conuenire, apparet. Enimuero, qualem Tu Vir Clariſſime viam ingreſſus es?

Theologiae Te quidem a prima aetate dedicaſti, aui inprimis Tui, Gottfridi Olearii, exemplo et fama inuitatus. Enimvero, ais, quid in his omnibus monſtri alitur? Nihil profecto, ſed poteras ni fallor, maiori fiducia eandem nominis celebritatem, qua tot poſt mortem ſuam annis auus Tuus plerorumque non ſatis ſagacium hominum culpa perfruitur, ſperare, quamvis Te paſſus non eſſes illius exemplo, ſiue potius gentilitio errore, capi. Etſi vero noui, quibus auctus es honores Philoſophiae et bonarum artium, vt immeritae vocantur, hoc die ad Te delati, et auidiſſime a Te ſuſcepti, luculento teſtimonio eſſe poſſunt; quam libenter iſtam familiarem

rem errorem foueas, quam mirum in modum eodem delecteris, non tamen omnem de Te corrigendo ſpem cenſeo abiiciendam eſſe, quod talem ſemper in Te ſubtilitatem animique bonitatem cognoui, vt et perſpicere verum poſſe, et ſequi velle videaris. Quare omnium, qui ad Te hoc Tuo die ſcribant et commententur, planſum et, de aucta, iſtis honoribus, felicitate Tua, concentum et adeo fere conuicium, praeſenti epiſtola conabor interpellare, ratus, hac mea fiducia in animi Tui candorem, verique cupiditatem collocata, maiorem Tibi a me honorem haberi, quam ſi elegantiſſima oratione, qualis nec in me cadit, felicitatis Tuae faſtigium, quod Tibi Tuiſque aſſecutus videaris, attingere cuperem. Iam vero, quoniam Tua res, Optime Zemiſch, agitur, non dubito, Te hanc meam qualemcunque epiſtolam beneuole excepturum eſſe.

Duo vero in ea mihi erant pertractanda. Alterum quidem, de natura Theologicae eruditionis, et in quibus rebus ea ſit quaerenda:

renda: de futilitate et vanitate litterarum; quarum amoribus Te miſere video deperire; alterum.

Theologi vero nomen, ei debetur, qui adſiduitate ſua apud academicum Theſeos et Homiliae doctorem id conſecutus eſt, vt tam ad verbum libros veteres et nouos diuinos interpretari, quam ſuper vnoquoque loco eorum, etiam tali, quem non intelligat, *ſacram orationem* habere poſſit. Quibus rebus Theologicam eruditionem abſolui; vel propterea, manifeſtum eſt, quod, cum omnes in ea ſimplicitatem merito requirant, illa magis compoſita aut varia eſſe nequeat.

Sed profecto nemo debet opinari, in hoc Theologiae ſtudio multum tempus, vel collocari poſſe, vel conſumi debere, eſt potius ad haec omnia, quibus carere nemo Theologorum poſſit, iter ſatis expeditum et breue.

Nam primo Theſeos nomine noſtrae eccleſiae regulae continentur. Quas veras

eſſe

eſſe et conſtantes, atque e libris diuinis petitas, omnes credere debemus. Credet igitur et hoc Theologiae ſtudioſus, cur enim fidem doctori ſuo neget? gutturoſo viro. Nihil minus repugnandi libidini conuenit iuuenibus. Modeſte igitur fidem habeat omnibus, quaecunque e cathedra doctor pronunciauerit, calamoque eius edicta excipiet. Vera ſcilicet ſunt. Etenim ille, ſi aliter ſe res haberet, quomodo dicere potuiſſet. Ita igitur debet Theologiae ſtudioſus animatus eſſe, vt et bono animo ipſe ſit, et bene agere alios iudicet. Fidem igitur habeat doctori, non arroganter teſtibus deſideratis. Si ſciat vera eſſe, quae dicantur, quid eius intereſt, ſcire, quare vera ſint?

Igitur Theſeos collegium quod vocant, ſtudioſe audiat, curioſe deſcribat, et memoriae ſi poſſit, etiamſi non intellectum, mandet. Nam vbicunque forte oſtentandae doctrinae ſuae occaſionem nanciſcetur, ibi requirent, definitionum tenacitatem quandam deinde facultatem demonſtrandi ea,

quae

quae dixerit non argumentis quidem, ſed verbis e libris diuinis recitatis, praeſertim iis, quae a Formulae noſtrae conditoribus et inferioribus Theologis cuique Articulo adiecta ſunt, ſic profecto ſatis, nullaque re alia opus erit.

Si intra annum, aut breuius tempus ſi poſſit, hoc Theſeos ſtadium emenſus ſit, ad Homiliam debet prouolare. Quae ipſa, populariter diſſerendi de vnoquoque loco librorum ſacrorum, quem etiam minime intellexeris, eumque ad pias meditationes transferendi diſciplina abſoluitur. Enimvero, quoniam id in hoc eloquentiae genere locum habet, quod veteres rhetores in ceteris receperunt: eloquentiam ſponte quidem contingere, nec peti ex aliorum inſtitutione poſſe, ſed acuendam bene dicendi facultatem quotidiana exercitatione eſſe: hoc ſine dubio verum eſt, concionandi facultatem, ſine ſumma et perpetua exercitatione nemini contingere poſſe. Mature igitur aliquid audendum eſt. Nec ſemper talis orator praeparatus debet ad dicendum

ac-

accedere, ſed interdum extemporalis oratio effundenda eſt. Hoc enim ſi conſecutus fuerit Theologiae ſtudioſus, vt ſiue paratus, an imparatus; ſiue hodie an cras, ſiue ſemel per diem, an repetitis vicibus, ſiue mane,an ſub veſperam ad concionandum vocetur, ſemper aliquid in promptu habeat, quo horam dicendo eximere, ſine vlla haeſitatione et anxietate, clariſſima voce et pleno gutture poſſit; hoc, inquam, ſi conſecutus fuerit, tunc quoque Theologi nomen et grauiſſimum ornatiſſimumque munus ſibi deberi, merito ſuo exiſtimet.

Quod ſi vero capiti ſuo tale munus intellexerit proxime imminere, tunc graece hebraiceque legendi periculum faciat, comitibus eam in rem minore Paſore, Stockio, Knollio, aliiſque litterarum continentia laudatis viris, vſus, a quibus eo perducetur, vt inprimis adiutus verſionum latinae et Theotiſcae praeſidiis, ad verbum reddere oracula diuina mediocriter poſſit. Quo facto facile probabilis munereque dignus habebitur. His vero rebus Theologiam

logiam definiendam eſſe veri Theologi vno ore profeſſi ſunt. Sed, vt fit, intra hos, quamuis recte conſtitutos fines, noluit ſe arrogantia plerorumque hominum continere, qui, ornamentis aliunde quaeſitis Theologiam amplificare cupientes, e medio fere ſuſtulerunt.

Atque, vt de hoc incipiam, non puto Te ignorare, quam multi Theologiam in linguarum orientis facultatem conuertant, et ſtatim eum, qui Ebraicam, Arabicam, Syriacamque linguam calleat et, Rabinorum ſomnia legere poſſit, Theologum magnum et venerandum exiſtiment. Enimuero, ſi Ebraicae linguae neceſſitatem, quae tamen poſt Lutheri operam adeo magna non eſt, liberaliter admittimus, quis Arabicae vſum, niſi ad oſtentationem requiret? Libri ſcilicet diuini e verſionibus longe melius explicari poſſunt. Quicunque itaque accuratus eorum interpres haberi cupit, is profecto diligentia ſua, legendique adſiduitate debet efficere, vt diuerſitas ſignificationum e verſionum varie-

tate demonſtrandique, quae occaſio tulerit, neceſſitate, ſibi innoteſcat. Neque in origine vocum, ſiue notatione et Etymologia plus praeſidii eſt. In grammatica vero interpretandi ratione, qualis vulgo iactata eſt a nonnullis, vincula fere latent liberali homine parum digna. Quis Theologiam patietur grammaticorum praeceptis adſtringi? Theologiam ſcilicet, quae domina et rectrix omnium humanarum rerum eſſe debeat, ad tantam humilitatem deiiciamus, vt nutum paganorum et profanorum grammaticorum obſeruare debeat, cum tamen id ipſum Grammaticorum imperium olim Imperator quidam ferre noluerit. Quid quaeſo magis abſurdum excogitari poſſit?

Linguam Graecam plerique inprimis propterea ſolent commendare, quod Theologi interpretes diuinorum librorum eſſe debent. Enimuero, quidnam, o Bone, eſt interpretari? Omnes ſcilicet, quicunque interpretandi facultatem in Theologis exigant, vno fere ore hoc profitentur, ea

opus

opus eſſe, ad effata diuina vſui vitae et formandis moribus hominum accommodanda. Ad quam rem, ſi forte velis procedere, tantis profecto ambagibus noli te conficere. Ex vno ſcilicet verbo, quod forte in loco quodam offenderis, ſexcentas optimas et ſaluberrimas ad vitae vſum meditationes, omnibus et accuratiſſimis interpretationibus praeferendas, elicies?

Quid, vt hoc exemplo vtar, ad commouendum animi ſenſum fortius eſt, quam lacrimarum opportuno tempore facta recordatio? Si itaque lacrimarum, vel flendi vocabula occurrent; quam late licebit in omnes lacrimarum campos exſpatiari? Lacrimae enim ſunt, vel gaudii, vel triſtitiae; vel amicitiae, vel odii teſtes. Flere itaque debemus, quoniam his mentis affectionibus nullus homo caret. Sed flendum eſt in tempore, atque de iis rebus, quae lacrimis dignae ſint, non de rebus humanis; de voluptatis ſenſu imminuto. Neque debemus flere, amicorum, quibus morte melior fortuna contigit, deſiderio

commoti, aut malis excitati, quae peccatorum culpa in nos prolabantur, aut damnis rei familiaris affecti, ſed deplorare oportet peccata noſtra, quales ſcilicet lacrimae ſalutares futurae ſint; deinde poteſt talis orator oſtendere, quanto melius ſit deflere in hac vita, quam flere et plorare in futura, et talibus rebus ita animare vniuerſam auditorum concionem, vt lacrimis fere reſoluta, doctoris ſui pietatem et eloquentiam admirari, vel inuita, cogatur.

Num vero quis plura aut maiora appetat? Scilicet tantine ſit, ſi tres aut quatuor Critici Te accuratum interpretem librorum diuinorum dicant, plebs vero ſine vtilitate frigeat? Sed, quam impium et nefandum hoc eſt, quod quidam adeo neminem recte interpretari libros diuinos poſſe putent, quin ita ſit, veterum profanorum ſcriptorum lectione, linguae Graecae adſuetus, vt ex illis lucem afferre libris diuinis earumque difficultates expedire poſſit?

Horret profecto, Optime Zemiſch, animus meus, ſi talia dicta fuiſſe a viris

non

non contemnendis, et dici nunc, et ſine omni pudore dici potuiſſe, cogito. Quid magis impium eſt, quam auxilium paganorum ſcriptorum libris diuinis neceſſarium dicere? Scelus et monſtrum opinionis! Ego profecto puto, tanto quemque meliorem ſanctioremque Theologum habendum eſſe, quanto minus ſe his paganorum ſuperſtitionibus immiſceat. Et, quo tandem vinculo libri diuini et iſti paganorum coniuncti eſſe poſſint: cum hi, ad euertendam doctrinam ſanctiorem, illi ad commendandam eandem ſcripti ſint? Linguae igitur, qua vſi ſunt, communio iſtam neceſſitatem ſola imponet.

Sed, ſi talis quoque neceſſitas quodam tempore adfuit, nunc profecto ſublata eſt, poſtquam Stockius, Knolliusque immortalis, et Paſor, tam facilem libris ſuis ad noui foederis interpretationem viam aperuerunt, vt, qui in ea nolit incedere, iſtis beneficiis indignus habendus, ac eodem modo ſua ignorare bona videatur, quam qui, prae cupiditate veteri anfractuoſae

longae atque deſertae viae inhaerendi, in noua, breui, hoſpitali, et omnibus patenti nollet proficiſci. Quid quaeſo facilius eſt, quam ex iſtis libris libros diuinos intelligere? num vero in hac facilitate crimen ſit?

Sed age, Vir Doctiſſime, progredere mecum ad alia, in quibus Theologi elaborare, nonnullorum opinione, debent. Ecce obuiam nobis ſponte venit Philoſophia! Salue igitur, in tempore profecto nobis occurris! Sed quid Theologo? Dic, ſi potes! Noſti, quam a te, tuaque ratione ſanctior diſciplina abhorreat. Quis ignorat Philoſophiam, humanae ſapientiae nomine, ſemper fere opponi diuinae illi, quam a Deo ipſo Chriſtiani accepere? Haec itaque coaleſcant, prius alat accipiter columbas, et lupus placidos agnos. Sed ſunt, qui, quamquam liberaliter hanc humanae diuinaeque ſapientiae diuerſitatem, huiusque prae illa praeſtantiam fateantur, vehementer tamen placitorum, quae a Philoſophis tradita ſint, cognitionem Theologis commendare non erubeſcant. Quorſum vero

illa profutura eſt? Aiunt: ad acuendos primo animos, deinde ad diſputationem, cum iis, qui diuerſam a noſtra doctrinam ſectantur. Illud vero, quod primum attinet, referendum eſt ad id, quod ſupra iam attigimus, Theologos ſcilicet bonos naſci, fieri proprio conatu non facile poſſe. Quare, quicunque a natura vocem ſatis canoram, atque tales corporis vires accepit, quae omnibus iſtis Theologorum laboribus poſſint ſufficere, is ſe putet ad Theologiam natum, ſibique iſtis ambagibus opus non eſſe, vt antequam facere poſſit Theologiam, Philoſophorum coetibus debent aſſidere: Omnem potius exercitationem, in eo collocet, vt vocis ſonum ita augeat, vt loco etiam maximo, in quo forte dicendum ſit, idonea videatur: reliqua ſponte ſuccedent.

Alterum, ad quod plerique ſperent Philoſophiam profuturam, eſt ad diſputandi exercitationem. Enimuero, quam ridiculum eſt, id quaerere, quod ſponte offeratur? Scilicet omnis bene diſceptandi fa-

facultas in animi commotionibus ſita eſt. Vti enim nemo bene docet, niſi contentione quadam animi excitatus, ita diſputare et controuerſias agere nemo videtur recte poſſe, quin quam facillime ad iram perducatur. In ira enim, et impatientia alienae a noſtra ſententiae, nerui omnis accuratae et ſubtilis diſceptationis latent. Quo vero facilius illi incendi queant, a pueris debent efficere, vt ferme neminem poſſint diſſentientem, et eum, cui tale quid in mentem venerit, odio, dicteriis, infamiaeque maculis afficiant, publice et clam traducant, et a coetu piorum ſegregent, qui vero ſic praeparato animo ad diſceptandum acceſſerit, bene profecto res ſuas geret. Animus talibus flammis incenſus, ſponte omnes diſſenſionum nubeculas corripiet.

Hiſtoriam omnem, maxime vero eccleſiae, ſunt, qui in Theologis ſumma impudentia requirant. Enimuero, cum Theologia omnis ad futurum vſum dirigenda ſit, quis praeteriti temporis memoriam curabit,

bit, niſi rigidus et inhumanus exactor? Quorſum vero Hiſtoriae cognitio profutura eſt? ad oſtentationem ſcilicet; Etenim ſi etiam poſſis de omnibus regibus Aegyptiorum, qui Pharaonum nomine in ſacris litteris occurrunt, accuratiſſime dicere, quo tempore vixerint, quo alio nomine a profanis ſcriptoribus celebrati ſint, quot bella geſſerint, quibus factis memorabiles poſteritati videantur, quid in Theologia his omnibus proficies? Nihil profecto. Deinde, ſi omnem orbis Romani ſub Auguſto deſcriptionem, Herodum ſtemmata, Iudaeorum ſectas, ritus et ſuperſtitionem, templi Hieroſolymitani altitudinem, et ſexcenta praeterea alia enumeraueris, num his omnibus vnus malus homo ad ſanitatem perducetur? Tandem, ſi ad nupera tempora velimus deſcendere, quid in crudelitatis, qua pagani imperatores Chriſtianos immolarunt et trucidarunt, quid in ſectarum diſcrimine, vanitate et ſtultitia, quid in patrum eccleſiae, quorum plerique non adeo multis doctrinae nomine probantur, voluminoſis operibus, ad corrigendos

homines praeſidii eſt? quae, niſi ex iis bene multi ſperarent nominis quandam immortalitatem ad ſe peruenire poſſe, eiuſque ſpei cauſſa lubentiſſime omnium etiam futiliſſimarum rerum onera ſibi paterentur imponi, dudum ſine dubio neglecta fuiſſent.

Sed ſi hae res omnes, de quibus dixi, et aliae, a quibus commemorandis me continui, tam futiles non eſſent, quam eae natura ſua ſunt, eſſent tamen aliae cauſſae ſatis probabiles et graues, quae Theologo ab omni litterarum ſocietate interdicerent. Nam ſi quid eſt, in quo ſeruando et retinendo omne ſtudium Theologus debeat collocare, hoc ſane eſt, vt fama integra et pura vtatur. Etenim, etſi in omnibus hominibus Haereſeos et nouarum de religione opinionum macula difficulter elui poſſit, in Theologis tamen Eterodoxias, quam vulgo vocant, ſuſpicio, tanto pernicioſior eſt, quanto illi magis, quam alii, praecepta diuina tueri et aduerſus iſtorum iniurias, qui innouare in his quaedam audent, defendere debeant. Quicunque

itaque

itaque bonus et pius Theologus velit haberi, is profecto, ab iis litteris continere ſuam diſcendi cupiditatem debet.

Sed ne videar, Vir Clariſſime, de iis rebus ad Te multa referre, quae ante cognita, ipſe poſſis melius recordari, parcam exemplis. Si vero velis Tecum reputare, quinam Orthodoxotati Theologi habiti, quinam nouitatis macula affecti ſint, facile peruideas; illud iis contigiſſe, qui nunquam ad hanc litterarum vanitatem conceſſerunt, hoc vero accidiſſe iſtis, qui litterarum nomine quam maxime celebrati, atque in profanis litteris audendi quaelibet proteruitate adſuefacti, eodem modo in Theologia pleraque immutare euertere atque innouare conarentur. Reſpice quaeſo ad Criticos, qui, quod nemine repugnante, quis enim talia curet? veteres profanos ſcriptores dilacerauerunt, diuinos libros non maiori profecto reuerentia proſecuti ſunt. Noſti, quam male excepti ſint a veris Theologis, tam olim plerique, quam nuper Bengelius, quantum eius famae

mae a pleriſque detractum ſit, quanta accuſationum mole obrutus ſit ab iis, qui, ne quid detrimenti res Theologorum caperet, clamoribus ſuis ſanctiſſimis cauere cuperent?

Vnde ad coniecturarum lubricitatem Capellae, Vuetſteniique prolapſi eſſent, niſi e litterarum, inprimis Critices, vanitate? Quid iſtud monſtrum Vuerthemenſe peperiſſet, niſi Philoſophiae arrogantia? Quibus rebus puto ſatis apparere, ex iſtis litteris, contra quas ſupra diſputaui, vtilitatem valde exiguam ad Theologiam redire damnum vero famae, exiſtimationi, imo futurae felicitati imminere.

Sed vrgent profecto grauiora argumenta, quae laudabile Theologorum aduerſus eas litteras faſtidium efficiant. Nam tene hoc, optime Zemiſch, atque retine, has litteras ſuis cultoribus pro praemio mortem tribuere. Funeſtum ſane, inquies, praemium! Sed ita eſt. Nam ea eſt harum litterarum vis, vt, quicunque primis tantum

labris

labris earum ſuauitatem deguſtare auſi ſint, ſibi deinde temperare a quotidiano vſu nequeant, ſed ſemper eaſdem languidi appetant, neque vlla temporis aut familiaritatis diuturnitate queant ſatiari. Atque iſtae litterae ne quidem noctium quietem ſuis cultoribus permittunt, eoſque diurno nocturnoque labore exercent, exſiccant, et conſumunt, vt vigiliarum moleſtiis pallidi, confecti et eneruati, mortem ante quam naturae lege vocati ſint ſubire, cogantur. Quid vero magis indignum eſt Theologo, quam vitae curam prae voluptatum illecebris, et immortalitatis vanitate abiicere, ſeque ipſum immolare diſcendi cupiditati?

Et quamuis vitae conſeruatio omnibus hominibus pari ratione commendata ſit, omneſque ſua ſponte eam velle videantur, manifeſtum tamen eſſe exiſtimo, omnis generis officia, inprimis a Theologis obſeruanda eſſe, vt inſtitutioni exempli quoque praeſtantia robur accedat. Vti enim auari hominis ad liberalitatem, libidinoſi ad continentiam, diſſoluti ad rei familiaris curam,

cohortatio, exiguam facultatem habitura eſt in omnibus, qui ſciant mores iſtorum cum praeceptis pugnare, ita profecto is, qui vitae ſapientem vſum, (in quo fere caput omnis de moribus et vita inſtituenda, diſciplinae ſitum eſt,) velit auditoribus ſuis praecipere, parum proficiet, ſin ipſe male vita corporiſque viribus vtatur. Enimvero, num Tibi forte leuior culpa eius videatur, qui adſiduitate ſua corpus frangat, quam qui hoc Veneri aut Baccho deuoueat. Ego ſane non putem facile quemquam futurum eſſe, quin ſimilis culpae reos vtroſque dixerit. Quod ſi eſt, ita vero eſſe Te non negare arbitror? apparet ſine dubio, nil minus litterarum iſtarum vanitate appetendum eſſe Theologis. Etſi enim non omnes pari facilitate ad mortem perduci ab earum violentia vides, pleroſque tamen, qui iſtis litteris delectentur, corporis animique vires ſine publica vtilitate conſumere, manifeſtum eſt.

Quot quaeſo videas doctos et celebratos ab exteris nationibus viros, qui corporis ſa-

ſanitate perfruantur, qui ab hypochondrio-rum dolore, lentae podagrae adſiduitate, tuſſis immunditie, aliiſque talibus morbis, quales ab aeris liberalioris abſtinentia oriuntur, immunes ſint? cum enim ſe muſeis ſuis tanquam carceribus includunt, quomodo vti ſano corpore, firmiſque viribus poſſint?

Tales vero homines corporis doloribus male affectos, putemus multa ad publicam ſalutem profutura peragere poſſe? Nulla re ad res bene agendas magis opus eſt, quam corporis ſanitate, id ſi pallet, tremit et languet, animi quoque minui facultates ſatis conſtat.

Age igitur, Optime Zemiſch, dic nunc, quaeſo, num amplius ridendos exiſtimes eos Theologorum, qui nunquam ab iſtarum litterarum illecebris capti, et ornare ſolam Theologiam cupientes, a philoſophia, philologia, critica, hiſtoria, antiquitatumque cognitione ſapientiſſime abſtinent?

Et

Et quid tandem iis conſequitur? Hoc fere, vt immerita laude a paucis quibusdam ad coelum elati, fama, ſanitate, imo ipſa vita priuentur, omnibus vero bonis, et ſanctis, et puris et caſtis, et candidis, Theologis, fugiendi et exſecrandi, imo Haeretici et nouatores videantur.

Tantine ſit ſcire, quae neſciant alii, vt omnia huic ſcientiae cupiditati, fama quoque et vita, quae ab hominibus merito maxima exiſtimantur, cedere debeant. Honorifica igitur mors, ſiue potius, caedes, proprii corporis, laudabiles eiusdem dolores, quibus a rei publicae vtilitate diſtinentur, ideo, quod ea omnia litterarum, quibus carere potuiſſent, amplitudine, acciderunt, habeantur.

Reputa haec omnia Tecum, optime Zemiſch, et tandem ſubductis rationibus dic, an hoc die Tua Tibi felicitas aucta an imminuta videatur? Num continuare hanc lubricam viam, in quam ingreſſus es, an in tempore eandem fugere malis? Si vita

Tibi,

Tibi, ſi famae innocentia, ſi bona Tibi Tua cara ſunt, deſere has litteras, ingratas erga Te futuras, quae Tuo amori non praemia, ſed poenas, rependent, et te ſpecioſis ornamentis captum, in miſerrimam conditionem, omniumque bonorum virorum odium detrudent.

Age iungamus vires noſtras, ad hanc litterarum vanitatem funditus e iuuenum credulis animis exſtirpandum. Dabo ego operam, vt nullus in poſterum iurisprudentiae ſtudioſus, qui meam ſequi velit inſtitutionem, ab iſtarum vanitate decipiatur, ſed feſtinatione ſumma ad agendum omnes perducam, Tu contra, quam hodie accepiſti docendi facultatem, ad Theologiae vtilitatem conuerte. Dic, contra has litteras, quibus decepti plerique turgent, ſi potes, Scholaſticam philoſophiam, quam, cum tanto ſuo damno Theologi deſeruerunt, reuoca, ſic lucem reddes Theologiae, augebis ſaluberrimis diſtinctionibus, imo male nunc affectam reſtitues.

Noli ceſſare longius, recipe oblatam conditionem, omneſque Grotiorum, Deylingiorum, Moſhemiorum, Boernerorum, Erneſtiorum et vtriuſque Michaelis atque Carpzouii libros foras emitte! Nec patere, vt Te Aui Tui memoria ad litterarum et humanae doctrinae vanitatem perducat. Sic ſcilicet multis eris merito Tuo olim Venerandus! Vale. Scr. Lipſ. a. d. IIII Martii

cIↄ Iↄ CCLVI

ERRORIS LAVS ORATIO

PRAEMISSA EST

AD VIRVM CELEBERR

ABR. GOTH. KAESTNERVM

EPISTOLA

ABRAH. GOTHELF KAESTNERO

VIRO CELEBERRIMO

ET AMICISSIMO

S. D. P

FRIDERICVS PLATNER

Cum hanc orationem ſuper erroris laude vellem publicare, neminem facilius eius tutelam, quam Te, Vir Celeberrime animoque meo Cariſſime, ſuſcipere poſſe ratus ſum. Etenim, quanto acrius principes Mathematici, qualis Tu merito Tuo haberis, ab omni errore, ex artis ſuae praeceptis abhorrere ſolent, tanto fortius patrocinium Tuo aſſenſu huic orationi tribui poſſe, intelligebam. Nam etſi mihi non hoc ſumo, vt putem id oratione Tibi mea commendari poſſe, a quo natura Tua, vel iudicio Tuo, abhorreas, ſpero tamen, hanc orationem quod mea eſt, hoc apud Te effecturam eſſe, vt mitius de Errore iudicare, eumque ma-

gis ad ſuauitatem et oblectationem generis humani, quam ad eiuſdem moleſtiam et damnum inuentum eſſe, velis exiſtimare. Nam ea ſemper fuit Tua erga me beneuolentia atque humanitas, eaque tot mihi teſtimoniis probata, vt ſi de animo Tuo Tuoque de me iudicio dubitare vellem, ingratus erga Te, et indignus iſtis omnibus videri poſſem. Igitur ſi puto, Te huic orationi condonaturum eſſe pleraque, quae aliis nolis facile permittere, talem ſpem iure quodam meo inire mihi videor.

Enimuero, etſi, errores pleroſque ſuaves et optabiles hominibus contingere, ſubiecta oratione oſtendi, noli tamen propterea hanc meam, ſuper errore ſententiam, iſti, de mutua noſtra amicitia, opinioni, accommodare. Nihil enim volo mihi certius ſeruari, quam animum Tuum erga me talem quali nunc delector et ſemper perfrui cupio. Non ſolum enim Tua in rem litterariam merita, quae amicitiam Tuam familiaritatemque facile optabilem facere ſummis et doctiſſimis viris queant, ſed Tua elegantia animique Tui ſuauitas,

quae

quae vel inuitos ad Te allicere et Tibi adſtringere ſolet, efficit, vt omnibus, in ingenii Tui vbertate, ſummi cuiuſdam et inuidendi boni fructus propoſitus eſſe videatur. Quare, Vir Celeberrime, cum earum rerum omnium copiam, ab eo tempore mihi feceris, a quo ad familiaritatem Tuam, mea in Te fiducia, viam mihi ipſe patefeci, nihil mihi, et ad hominum exiſtimationem honorificentius, et ad animi voluptatiſque meae ſenſum ſuauius, contingere poſſe, Tibi velim perſuadeas, quam ſi amicitiae Tuae perpetuitate, animique Tui conſtantia, talis ſemper mihi fueris, qualem Te opto et huc vſque, cum ſumma felicitate mea, expertus ſum, id eſt, amicitia mihi et familiaritate coniunctiſſimus.

Sed erat profecto alia cauſa, cur vellem Tuo nomini aliquam ex his noſtris commentationibus inſcribere. Quod ſi enim eae omnes pleriſque luce parum dignae videbuntur, Tu noſtrae temeritatis, vel excuſationem, vel culpam, debebis in Te recipere. Tu enim ad has res publicandas addidiſti mihi animum. Quis vero ſcriptor, (qua-

les ſcilicet homines facile patiuntur exire res ſuas) Kaeſtneri precibus aliquid negare poſſit? Scito itaque, Optime Kaeſtnere, Te impenſas, communi noſtro librario Viro honeſtiſſimo, praeſtare debere, ſi euentus, eius de hoc libro expectationi, non reſponderit. Id, ſi nouo a Te libro edito fiet, me ab omni culpa non ſolum liberatum, ſed adeo multum mihi deberi a doctis hominibus ideo arbitrabor, quoniam Te ad compenſandum damnum noſtra culpa librario illatum, et augenda Tua in litteras merita prouocauerim. Sic vale, et digna Tuis virtutibus, id eſt, maxima et perpetua fortuna vtere. Ceterum amicis et fautoribus meis, Gebauero, Ayrero, Geſnero et Michaeli, ſummis Georgiae Auguſtae ornamentis, mille meo nomine ſalutes dicito, meque eorum beneuolentiae commenda. Vale. Scripſi in Academia Lipſienſi d. VIII Aprilis

cIↃ IↃ CCLVIII

LAVS

LAVS ERRORIS
ORATIO

Si quo vnquam tempore, mihi apud Vos, Auditores, calumniae ſuſpicio auertenda fuit, quod non puto mihi accidiſſe, hodie tamen omni opera debeo cauere, ne me tali animo ad dicendum proceſſiſſe exiſtimetis, qui nec mihi aut vlli bono viro optabilis, nec probabilis Vobis videri poſſit. Nam, cum talem rem hodie apud Vos non ſolum defendere, ſed adeo laudare inſtituo, quae, omnium fere hominum conſenſu, et natura ſua, deſperata et ab omni laude aliena habeatur, non ſane poſſum ſperare, hanc ipſam orationem gratam plerisque fieri poſſe. At propterea me non patiar ab optimo et ſaluberrimo conſilio auocari, cum ipſa huius rei et opinionis inueteratae vincendae difficultas, augere vires et copias ad dicendum ſubminiſtrare mihi videatur. Nec turpe erit, in tam ardua et difficili cauſſa,

cuius ipſa natura excuſationem oratori ſit allatura, dicendo nihil profeciſſe.

Quare contra iſtam omnium fere ſententiam, qua naturae beneficio hominibus veritatis cupiditatem inſitam, et in ipſa veri videndi facultate, ſummam felicitatem conceſſam eſſe exiſtiment, ita dicere conabor, vt ſimul Erroris laudibus propoſitis eodem homines beatiores fieri, et magis, quam omni veritatis ſtudio, delectari, oſtendam. Enimuero, quanto certius contra communem opinionem, et probatam omnibus ſententiam debeo oratione mea pugnare, ita quoque tanto magis mihi veſtra beneuolentia et aequitate in talis rei iudicio opus eſſe intelligo. Vos igitur, Auditores, obſecro, velitis mihi, parum diſerto homini, patientia veſtra et humanitate ſuccurrere. Quod ſi conſecutus fuero, rem omnium gratiſſimam mihi a Vobis tributam eſſe, exiſtimabo.

Optimas ſaepe res in communem contemtum incidiſſe, id vero non ſemper in-dignum

dignum laude eſſe, a quo etiam fere omnes abhorreant, multis exemplis demonſtrari poſſe, autumo. Nam quid, obſecro, magis fugiendum et ridiculum hominibus videtur ſtultitia, et tamen in tempore inſanire quis vetet? Imo Bruti, Romanae libertatis vindicis, ſtultitia, quae Tarquiniorum crudelitatem effugerat, non excuſata tantum, ſed laudibus adeo elata fuit. Quid a natura hominis tam alienum eſt, quam mortem ſponte ſubire, vitaeque ſpem abdicare? Et tamen ſcimus, propriae caedis nomine, inter veteres Catonem inprimis, et ante eum pleroſque celebratos fuiſſe, qui, morte vltro expetita, deos placare, et ſe ipſos patriae ſaluti deuouere ſuſtinuerant.

Apparet igitur, non ſemper id, quod communi hominum ſententiae minus probetur, ideo ſtatim plane contemnendum eſſe. Nam profecto tam diuerſis ſtudiis iactantur homines, vt non pauci ſint, qui magis arrogantem quamdam ſeueritatem, quam ipſam vtilitatem per totam vitam ſequi velint.

ſint. Id ipſum vero Errori accidit, quem multi, non quod accuſatione et contemtu dignus ſit, accuſarunt et carpſerunt, ſed, quod, hoc Erroris odio, ſubtilitatis et prudentiae commendationem ſibi contingere poſſe, ſperarent. Sed, profecto, Auditores, ſi rem curatius conſideraueritis, Errorem non fugiendum ſed expetendum, et e numero earum rerum eſſe, quae ſaluberrimae et vtiliſſimae toti humano generi contigerunt, intelligetis.

Atque quanto maior in rerum ſimplicitate moleſtia hominibus propoſita eſſe videtur, quanto ii vehementius varietatis et multitudinis cupiditate excitantur, tanto Error praeſtat Veritati. Nam nulla varietatis oblectatio Veritatis aſſeclis contingere poteſt, cum id, quod in rebus verum eſt, ita conſtans ſit, vt in diuerſas ſpecies mutari augerique nequeat. At contra, quam multiplex eſt Error, quam late patet illa ſuauiſſima errandi facultas, quam nullis limitibus deſcripta, nulli neceſſitati adſtricta eſſe ſolet. Poſſunt in hoc hominum ingenia exerceri, nec, vt in veri inuentione, ſi, quid in quaque re verum ſit,

ſit, ſemel pateat, omni inueniendi poſtea facultate et libertate excluduntur, ſed poſt quingentos errores, nouus huic errorum cumulo addi poteſt. Atque propterea num poteſtis dubitare, Auditores, Errorem humanae naturae magis, quam Veritatem conuenire? quod hic in libertatem vindicare, illa in ſeruitutem detrudere homines videatur. Noua enim inueniendi facultas, qua inprimis homines ſubtiles gaudent, in errore largiſſime tribuitur, ſumma licentia errare poſſumus, nihil eſt, quod Errori non conueniat, nulla in Errore cura retinet homines, nullae leges Errori propoſitae, omnia arbitrio hominum relicta ſunt, ſtatim Error ſui copiam facit, non inuitus in conſpectum hominum protrahitur, ſed ſponte iis ſe offert, imo inuitis et recuſantibus comitem ſe praebet. Horum vero nihil Veritatis ſtudioſis ſolet contingere, qui eandem ſaepe fruſtra in latebris, multis moleſtiis quaerere, deinde ex innumeris inuolucris, in quae ſe recepit, expedire coguntur. Nec tamen, ſi tandem inuenerunt, haec ipſa Veritas blanditur hominibus, ſed

dura

dura et inexorabilis et praeterea faſtidioſa eſt, nullis, niſi perſpicacibus et ſubtilibus ſui copiam facit, omnes hebetes et obtuſos fugit, philoſophis, ſeueris et parum politis hominibus, adhaeret, et in mathematicorum numeris maxime regnat. At contra, quam humanus eſt Error? quam communis et familiaris, quam aptus omnibus hominibus, quam gratus puellis, expetitus iuuenibus, ſuauis vetulis, optabilis indoctis, blandus doctis Error videtur.

Et ſane, ſi quid eſt, quod *homines* beatos et ſua ſorte contentos reddat, ſolamen afflictis praeſtet, laetitiam animis infundat, triſtitiam pellat, inopi potentiam, improbis honeſtatis ſpeciem largiatur, Error eſt, qui haec omnia poſſit.

Quot vero malis vnus Error medetur? Cras moriturus, inſtantis hoſtis aduentu hodie nondum terretur, quando ei Error longioris vitae ſpem largitur. Si carae et venuſtae vxoris perfidiam et litterarum ſecreta maritus aperte perſpiceret, facile poſſet triſtitiae ſuccumbere, cum tamen, quoniam

Er-

Erroris prouidentia haec omnia occultata ſunt, vxoris adhuc pulcritudine et venuſtate delectetur, et Hymenaeo vinculi nuptialis felicitatem gratuletur. Quam moleſtum futurum eſſet pleriſque iuuenibus, ſi quantae ſortis tenuitati deſtinati, et quam plane nihil vigiliis ſuis et pertinaciſſimo labore conſecuturi ſint, aut praemia immeritis dari, negari merentibus, ali ignauos, famis miſeriae ingenioſos permitti, ornari ſtupidos, contemni ſubtiles, celebrari ſtultos, obliuione premi ſapientiſſimos, iam iſta aetate praeuidere poſſent. Abdicarent ſine dubio artium ſtudia, e quibus tam tenuem vtilitatem ſperare poſſent. Enimuero, quod audent illi multa, quod moliuntur multa, perficiuntque multa, quod dies noctesque laboribus eximunt, vitam adeo ipſam exhauriunt, viresque in communi humani generis vtilitate collocant: haec omnia ſoli Errori tribuenda ſunt, qui praemia laborum, gloriam benefactorum, titulos honorum, et immortalitatem adeo ipſam iis oſtentat, taliumque bonorum ſpem excitat.

Error igitur alit artes, incendit ſtudia hominum, inflammatque plerosque bene faciendi cupiditate.

Quot porro artes ipſi Errori originem debent? quas nullius hominis ſolertia inveſtigare, aut ingenioſiſſimi hominis ſtudium excogitare potuiſſet, et quae, velut alia agendo, per hunc ſolum inuentae fuerunt, quot antiquitatis monumenta et marmora, et numi, et vaſa, cum terra, puteorum aut alius rei cauſſa effodiebatur, per Errorem ſeruata et luci reddita ſunt. Quot victorias Error bellicis ducibus conceſſit, cum hoſtes, metu inani commoto, et multitudinis inſtantis vana ſpecie obiecta, ſolus fugaret? Quid mercaturam magis fovet, quam Error, qui rebus domeſticis externarum ſpeciem mutuatur, emtorumque cupiditatem et ſtudia commouet? Quis reuerentiae et admirationis apud exteros populos, qua plerique docti homines gaudent, auctor eſt, quam Error, qui, vt magni et excellentes e longinquo videantur, efficit? Quis tot pauperibus hominibus

bus domicilia, alimenta, et alias commoditates largitur, niſi item Error, qui ſuperſtitionem fatuorum hominum ad benefacta accommodat. Quis tot magnifica et ſumtuoſa aedificia in vrbium ornamentum exſtruxit, hortos inſtituit, ſtatuas erexit? Error profecto, qui vanis, at diuitibus, hominibus immortalitatem ex his rebus contingere, perſuaſit. Quis omni virtutis, litterarum, fortitudinis, et meritorum commendatione carentibus, e nobili tamen et clariſſima gente oriundis, prae ceteris hominibus principatum detulit, aliaque priuilegia tribuit, niſi Error, quo omnes ad tales colendos et obſeruandos compellimur. Quale pleriſque antiquitatis reliquiis, quarum poſſeſſione nunc multi mirum in modum delectantur, pretium futurum eſſet, niſi ab Errore, ſummo talium rerum deſiderio, animi doctorum et doctrinam affectantium hominum, incenderentur. Quare gratiſſimae res nouae eſſent, niſi nouitatis cupiditatem Error indidiſſet hominibus; vnde e minus probabilibus libris diuitiae et opes librariis contingere poſſent? niſi Erroris potentiſſima commendatione lectorum et emtorum ſtudia excitarentur. Vnde ad minus fructuoſum doctorem tanta iuuenum turba confluereet,

niſi Erroris voci obtemperare cogerentur? Vnde aliis clientum cohors contingeret, niſi Error apud pleroſque potentiae opinionem et auxilii promtiſſimi ſpem, de iis commoueret?

Igitur Auditores, videte, quid Errori debeamus, a quo tot bona in omnes fere homines diſtributa et conceſſa ſint, qui animi tranquillitatem, diuitias, laudem, reuerentiam, doctrinam et innumera alia tribuere poſſit, qui nullis fere terroribus homines exanimet, ſed plerumque blanditiis mulceat, eorumque ſuauitati et oblectationi inſeruiat, imo beatiſſimos eoſdem reddat.

Hunc vero amicum generis *humani* fugiamus? Huic Veritatis ſeuerae conſuetudinem praeferamus?

Iudicate ipſi, Auditores, num Veritas Errori praeſtet? Quam ſcilicet Sceptici olim plane e rerum natura tollere voluerunt, et Poetae, ex orbe terrarum exceſſiſſe et ad ſuperos rediiſſe, profeſſi ſunt. Hanc itaque Veritatem, quae forte nuſpiam reperitur, tanto ſtudio inueſtigemus? Hanc inueniſſe honorificum et glorioſum nobis putemus? Eaque poſſeſſione delectemur? Arripite potius Errorem, ſuauem blandumque Errorem, ſic haec noſtra quoque cauſſa, nunc perorata, vobis probabitur.

IOVIS

IOVIS IVDICIVM

Aliquando, quo anno, aut die, non conſtat, magna et atrox controuerſia multa bile animorumque contentione inter doctos homines agitata eſt, - - - - Ohe, inquis Lector, Ohe, iam ſatis; quid enim hoc noui eſt, aut quod tempus a talibus rixis vacuum fuit? - - - Sed, ſine modo, precor, forte, ſi perorari fabulam noſtram paſſus fueris, non omnino quotidiana ea controuerſia, cuius mentionem facturi ſumus, tibi videbitur. Non enim duo aut quatuor gladiatores, ſed omnes docti homines tanta ſe inuicem crudelitate corripuere, vt, tam iis ipſis, quam litteris omnibus, exitium imminere videretur. Tanti vero belli ſigna dabant duo, aut tres ſtrenui et feſtiui nugatores, quorum quiſque ei ſoli arti, quam ipſe profitebatur, prae reliquis omnibus, principatum aſſerere cuperet. Pugna inter iſtos primum exorta, pauliſper cum aliis quoque, qui cauſam ſuae artis iſto tempore nollent negligere, commu-

nicata eſt, tandem omnes fere doctos homines iſtius furoris contagio inuaſit. Sub initium res libris, vt docti homines ſolent, acta eſt, et in perituras chartas tantus imber Satirarum, defenſionum, Apologiarum, demonſtrationum, famoſorumque librorum detumuit, vt iſtius fluminis rapiditate, tabernae librariorum ingeniaque lectorum viderentur inundari, imo ſuffocari poſſe.

Sed, poſtquam libelli ſexcenti, tenues et copioſi, humani et acerbi, falſi et fatui, politi et ſubruſtici, nulli parti ad victoriam profuerunt, iam ad mortiferos enſes et exitium allaturas ſagittas omnium manus porrigebantur. Tum vero reuerſus a nouiſſimo adulterio Iupiter, ex Olympo hoc ciuile bellum, inter litterarum ſtudioſos, adhuc in tempore vidit. Nam eo iam ventum erat, vt inter omnes, quicunque diuerſas artes profiterentur, omnia conſuetudinis, amicitiae et familiaritatis vincula relaxata imo reſoluta fluctuarent, et ſua arte nemo vellet inſeruire aliis, qui eandem non didiciſſent.

Medi-

Medicus aduerſus inuiſam mortem auxilium negabat immortali Philoſopho, neque iureconſultus aduerſus pinguem librarium patrocinium praeſtabat miſere eſurienti poetae; hic vero, quamuis rogatus, funus ſtupidi cuiuſdam Maecenatis, qui in aliarum litterarum quadam adfectatione, poeſin ſolam neglexerat, celebrare verſibus ſuis detrectabat. Nemo inuentus hiſtoriae ſtudioſus eſt, qui aliarum artium ſcientia excellentium virorum memoriam vellet poſteritati commendare. Critici, crudeliſſimo conſilio, totum litterarium orbem oculis priuare cupientes, libros a ſe editos et quos publicare conſtituerant, vno die omnes concremauerunt, cineres vero librorum concrematorum, in quibus ſapientiae verae elementa latere putarent, humano generi inuidentes, ruminare non erubuerunt. Mathematicorum nemo Calendarium ordinabat, aut qui immolare diis, doctorum virorum parum frequentes hoſtias vellet, reperiebatur ſacerdos.

Iupiter igitur ex alto haec omnia videns, his diſcordiis finem ſua potentia facere ſtatuit

 tuit

Iouis, Lauris cinctum, erigebatur, ante oculos e longinquo tremebat Oceanus, et laeti Iouis aduentu delphini ludebant. Advenerant, vt decebat, ante Iouem procuratores cuncti, ac Mercurio, in hoc diuino iudicio apparitoris perſonam ſuſtinenti, iam a crepuſculo miſere obtuderant diuinas aures; quiſque enim prior loqui, in primo loco adſtare Ioui cupiebat. Deorum nuncius tamen, his malis, mercatorum non raro magno conatu nihil dicentium familiaritate adſuetus, mirabili comitate excipit omnes, promittitque ſumma facilitate, vt in aula verſatum crederes, omnia, quorum nulla ei memoria, poſt promiſſionem factam in mentem reditura erat. Idem quoque in mandatorum fidem inquirens, nomina procuratorum, et quorum cauſa aderant, in tabulas retulit.

His rite demum peractis, ad Deum propius admiſſi ſunt oratores. Difficulter ipſius Iouis praeſentia hos ſeditioſos homines in ordinem redegit. Nam ita quiſque flagrabat

bat dicendi cupiditate, vt, niſi eos Mercurius obmuteſcere diuina virga coegiſſet, nullam deo reuerentiam habuiſſent.

Adſtabat proxime ad Iouem, Poetarum procurator. Quoniam e numero erat eorum, quos venales dicere poſſes, non ſperabat, primam ſibi dicendi facultatem a Ioue contingere poſſe; et interea pedes Epithalamii in futuris nuptias, cuius cauſa aliquot ſolidos repraeſentatos acceperat, ſtrenue numerabat. Vt erat totus in numerandis pedibus, quod iſto die tradere carmen promiſerat, non ſtatim exaudiuit immortali voce exquirentem Iouem: Heus Panſa! quid Tu hominis, aut quorum hodie cauſam acturus es. Repetita demum quaeſtione, rediit animus ad poeticum corpus. Tum, ante ceteros ſibi fandi poteſtatem dari intelligens, primum per totam vitam erubuit: At, non vocatum Pudorem, centum millium verſuum, quos ſcripſerat, recordatio ſubito repulit, et ſequentem reſponſionem ſubminiſtrauit. Ego vero, o Pater deum, ſum

et

et ipſe Poeta, et, poetarum patrocinium mihi ſorte delatum, ſuſcepi. Sed pergit, Iupiter, quomodo Tu Poeta et ipſe factus es, et quid Tibi cum Poetis intercedit neceſſitudinis? Ego vero repoſuit *Panſa*, puto verſuum numerum, quem iam impleui ſcribendo, mihi ad Poetae nomen ſufficere poſſe. Igitur, Tu inquit deus, numero verſuum putes Poetae merita metienda, aut Te, me inuito, Poetam factum eſſe. Sed, o Deus, Panſa dixit, adſunt ſcilicet huius facultatis teſtes *ipſi verſus noſtri*: Apage cum *Tuis* verſibus, ira paullulum excitatus Iupiter reſpondit, iſtis nihil apud me proficies, In natalibus Tuis rhedarii ſortem tibi adſignaui, iſtam corpori tuo moleſtam cum velles effugere, verſus compoſuiſti multos, ſed inſanos et nullius pretii, Igitur tibi tam expeditum iter ad Poeſin patuiſſe putes? vt, quae natura negauerat, potueris impudentia Tua conſequi? Obmutuit pauliſper, Panſa, ſed confirmato deinceps animo ſic allocutus eſt Iouem. Quare vis me, Omnipotens pater, deiicere de merita et ſatis diuturna poſſeſſione

ne eius nominis, cuius multo ſudore multis que vigiliis potitus ſum. Moriar, ſi verſuum meorum vnus, vno ſaltem pede, vnquam laborauit, ſi caeſuram neglexi vnquam. Quid vero magis poetae curandum ſit, nonne haec ſumma in Poeſi habeantur? Parce verbis! plura forte dicturum Panſam Iupiter intercepit, iſta, quae Tu putes ad Poeſin ſufficere, minima ſunt. Cetera vero, quorum Tu ne nomen tenes, ſunt maiora, quam vt Tibi contingere vnquam poſſint. Primum enim ingenio opus eſt Poetae, cuius vbertate, tam fingendi inueniendique poteſtatem, quam ornamentorum copiam accipiat; deinde valere debet iudicio, vt quibus in vnoquo que genere carminis vti debeat ornamentis, aut quid moribus conueniat, iudicet, tandem linguae vſu ſummo debet exerceri et verbis abundare; praeterea haud exigua ceterarum litterarum ſcientia tinctus eſſe. Poeſis enim omnium quaſi litterarum communi ſumtu alitur et creſcit. Quo itaque quisque, cui etiam Natura fauit, doctior eſt, tanto facilius augebitur poetica facultate. Sed, ante omnia Poeta debet, bono animo

eſſe,

eſſe, ne arte ſua abutatur potius, quam vtatur; Poeſis debet diſciplina virtutis eſſe, eamque commendare hominibus ſuauiſſima praemiorum, quae virtus habeat, commemoratione, aut poenarum, quibus ſceleſti homines afficiantur terroribus commotis. Iſta vero omnia debent honeſtiſſima voluptate afficere homines, et quaſi amabilem reddere ipſam virtutem, narrationum, fictionum, aliarumque rerum blanditiis; Sed nunc vide, o Panſa, quam earum rerum nulla in *Te cadat*, quanta inopia frigeant verſus Tui, quam contorti, metri cauſa, et quaſi conferti ſint; quam nulla ex iis ad genus humanum vtilitas. Noli itaque Te poetam putare, aut nugas Tuas carmina dicere, ipſe mihi vates meos deligo, quales naſci iubeo omnibus ad Poeſin dotibus inſtructos, tibi vero, quoniam nil earum a me accepiſti, ab omni carmine interdico.

At tunc, ſic Panſa exorſus eſt, *Meos vero verſus laudant multi, legunt non pauci,*

ci, emunt plerique, quod non ita magno pretio eos vendere ſoleo. Neque vero iſtis omnibus volo Tè mouere Iupiter: ſed, nonne te moueat ſtrenue eſurientis ſtomachi calamitas, quam nulla arte, niſi verſuum ſcriptione et venditione, leuare poſſum. Vnde igitur huic alimenta redeant, niſi è verſibus quaeſita? Nullane huius te miſeratio capſat?

Quo facto ſic fatus eſt Iupiter: Doleo ſane vicem Tuam Panſa! ſed culpa omnis tantae miſeriae in te ſolo latet; Vnicuique hominum a natura via definita eſt, in qua alimenta inuenire, ſi modo velit, abunde poſſit, at debet vti conceſſis a Natura facultatibus, neque negatas appetere, Tibi corpus datum eſt forte, robuſtum, et durum; quo ſi voluiſſes vti, nulla tibi egeſtatis et famis pericula metuenda fuiſſent, At, cum deſidere in muſeo et fugere aeſtiuos calores, quam onera humeris geſtare et corpus exercere, malles; nunc debes fraudis poenas dare. Fraude enim et furto alie-

nis

nis vti inſtituiſti poſſeſſionibus, dum verſus nugas Tuas, Te poetam diceres, et venderes merces, a quarum negotiatione Tibi abſtinendum fuiſſet. Ne itaque vileſcat Poeſis, Tuo Tuique ſimilium ſcelere, conſtitui Tuo priuilegio cauere. Atque, quoniam non vocatus Poeſin ſectari auſus es, non prius vllus Tibi ſuccedet verſus, quam omnia mala carmina ad Obliuionis templum, concremanda detuleris. Sic volo, ſic iubeo.

Gemibundus ad deſtinatum opus Panſa diſceſſit, alebat euntem ſpes aliquando rediturae verſificandi facultatis; At, quam vana ſpes erat! cum tantus iſtius generis carminum prouentus exiſteret, vt, quamuis Panſa ſenio ac operis diurni moleſtia confectus, poſt multos annos demum obiret, nondum tamen omnia veſana carmina ſublata ſint; et eorumdem pondere premi terram noſtra adhuc aetate videamus.

Dum

Dum haec Panſae accidunt, ceteri procuratores attoniti adſtant. Deferendi vadimonii facultatem et comperendinationis poenas quiſque, incertae, in hac forenſi pugna, victoriae praetuliſſet, niſi inexorabilis ianitor Mercurius, quo minus fugam capeſſerent, impediiſſet.

Ad hos itaque reuerſus Iupiter proximum ſibi barba longiſſima venerabilem philoſophum alloquitur. Num tibi, o Scote, probatur noſtra de Panſa lata ſententia? Dum vero Scotus, hac quaeſtione, fiduciaque in ipſum Iouis, ita inflatus eſt, vt iam aſſeruiſſe victoriam Philoſophis, ſe vero ipſum ſecundum a Ioue crederet. Vix, prae tam laetae rei cogitatione, reſpondere Ioui poterat; tandem haec eius verba audita ſunt, Nil ſapientius audiui vnquam, quam hoc Tuum de Panſa iudicium, niſi quod ego, ſi per me ſtaret, omnes poetas bonos et malos, ex orbe terrarum tollerem. Igitur, Tibi Scote omnino Poeſis non probatur? Iupiter indignabundus exquiſiuit hominem;

nem; et quomodo iſta mater nugarum poſſit homini ſubtilitatis ſtudioſiſſimo grata videri; Scotus interrogauit. Noſtine, exquiſcatus eſt Iupiter, quid ſit Poeſis? Hoc ego ſcilicet nunquam o Iupiter curaui, *Philoſophus* repoſuit, contempſi eam ſemper, et putaui id iure à me factum eſſe. Tunc igitur Tibi videris Philoſophus? Omnino; haerens aliquantiſper Scotus aſſeruit; Tu profecto, Iupiter iracundus pronunciauit non magis dignus es *Philoſophi nomine* quam Panſa Poetae. *Nam quis in veritatis* ſtudioſo tantam leuitatem patiatur, vt contemnat ea, quarum natura minunquàm perſpexerit, tunc ergo debeas aequitatis ſtudio incendere alios homines? cum tamen erga nobiliſſimam artem ipſe iniquus ſis. Vide quam haec Tuae profeſſioni conueniant, qua te dicas veritatem latentem exquirere, quod patentem et ante oculos poſitam nolis, prae fiducia iudicii Tui ſiue potius erroris, aſpicere.

Sed

Sed, ne veſtrae temeritatis teſtimoniis, quam iam abunde noui, longius tempora mea ſine vtilitate teram, nolo vos ſingulos exquirere, ſed, interpoſito antea, ſuper lite veſtra, iudicio, dimittere. "Litte-
„rarum gratia nulla eſt, niſi ad virtutem et
„rem publicam aliquid conferant, Litterae
„quoque omnes inter ſe arctiſſimis vin-
„culis adſtrictae ſunt, quae ſine periculo
„nequeunt ſolui. Artes, quibus quis ad
„aliorum hominum vtilitatem et virtutis
„commendationem vtitur, laudabiles ſunt.
„Omnes, quae hoc praeſtant pari iure gau-
„dent; iſtae dignae ſunt liberalis ho-
„minis adſiduitate et diligentia, e tali-
„bus quoque laus naſcitur. Stultus labor
„eſt, qui in ceteris artibus, quae ad iſtas
„ſuperiores nequeunt referri, male conſu-
„mitur. Bonus vir et publice vtilis eſt, qui
„Iurisprudentia, aut Medicina, aut Philoſo-
„phia, aut Eloquentia, aut Matheſi, bene vti-
„tur et iſta confert ad publicam vtilitatem.
„Sed nec Medicus praeſtat Philoſopho, nec
„Iure conſultus Mathematico, niſi merito-

„rum in patriam multitudine et gratitudine.
„Hac lege, vos volo in poſterum vincere.
„Sic quiſque aliorum merita obſervabit,
„iiſque excitabitur ad augenda
„ſua.

CE-

CELEBRITATIS PRETIVM

Polygraphus, homo quidam doctus, nominis ſui, quod ad pleraſque externas nationes peruagauerat, vehementer inflatus celebritate, a Ioue ſaepius flagitando hoc impetrauit, vt in vno loco collectos omnes, quibus merita ſua nota eſſent, poſſet ſimul conſpicere, volens vero hominis ſuperbiam reprimere Iupiter, iſti ſuperiori beneficio aliud ſponte adiunxit, deditque internoſcendi homines, pro cuiuſque merito, facultatem, vt quis doctus, quis nugator, quis ingenioſus, quis ſtupidus, quis ſubtilis, quis hebes eſſet, e vultu cuiuſque poſſet iudicare.

Quo facto, Polygraphum quidem iſtum ſummo gaudio affectum eſſe, cum admiratorum ſuorum ingentem multorum millium turbam inueniret; ſed poſtquam altera a Ioue ſimul data facultate, ad diſcernenda hominum merita, vſus eſſet, ſummo dolore affectum et ingemiſcentem aiunt diſceſſiſſe, quod tantae multitudinis vix mil-

leſima pars tales contineret, qualium ipſi admiratio et laudes poſſent optabiles videri. Plerique enim admirabantur Polygraphum, quod ab aliis forte talem quemdam Polygraphum admiratione dignum haberi, audiuiſſent, quamuis, nec quare extolleretur vulgo, aut quo merito extolli debeat, ſcirent, vel ſcire vellent. Nonnulli laudabant Polygraphum, quod tutius putarent laudare omnes, quam reprehendere vnum. Permultis denique libri Polygraphi, quos non intelligerent, ideo laudabiles videbantur, quoniam aſſequi eoſdem nequirent.

Sed num hoc ſoli Polygrapho putemus ita accidiſſe? Nolite hoc putare, quotquot iſtam celebritatis felicitatem tantopere cupitis! Vos omnes non diſſimilis ſors manet. Vera enim laus, non in multitudinis ſtrepitu fluctuat, ſed in paucorum elegantia requieſcit.

PE-

PEREGRINATIO COECI.

Coecus quidam fertur aliquando, ingenii exercendi cauſſa, peregrinationem inſtituiſſe. Quare ridetis hominem? id vero vobis tam inſolens videatur, coecum peregrinari velle. Num forte clarius videant, matrum optimarum dulciſſimi filioli, populares noſtri? quales tamen quotidie ſine duce, ſine litteris, ſine experientia vlla, e matercularum gremio, flentes abeunt. Cohibete ergo riſum intempeſtiuum, pari cum iſtis iure poteſt coecus tale iter ſuſcipere, parem vtilitatem domum referre.

Coecus ergo Lyſiphon, per regiones pleraſque curru vectus eſt, interdum in vrbium celebratarum hoſpitiis publicis et lautioribus ſubſtitit, conſtitutam pecuniam ab argentariis recepit, muſea, Bibliothecas, Numophylacia et Dactyliothecas, attigit, doctorum hominum tempora turbauit, emitque quam plurima. Atque quaeris, iſta omnia ſine oculis? Omnino, nam tene hoc, Lyſiphon coecus erat.

Rediit poſt biennii abſentiam in patriam, in qua nil amplius probabatur homini, et ita omnia male ordinata inueniebat, vt fere non deſineret accuſare popularium ſuorum ſtuporem, qui tales domos, tales hortos, talia templa, talem ſupellectilem, talem

moleſtiam, poſſent perferre. Sed ſi ex eorum tamen nullum poterat Lyſiphon videre. — — Quomodo tandem poſſit coecus? qualem Lyſiphontem fuiſſe, potuiſſes, quoniam centies dictum fuit, ſine magna moleſtia recordari. — — Noli vero mirari, quod audias vituperare noſtrum hominem ea, quorum nulla penes eumdem eſſe poſſit ſcientia. Hoc ipſum ſcilicet, commune erat Lyſiphonti cum permultis aliis; Quomodo diues negotiator poſſet litteras traducere, cum vix legere didicerit, quomodo rei militaris ignari imperatorum facta ſub cenſuram vocare, quomodo ſutores et tonſores et omnia ambubaiarum veneranda collegia regum arguere conſilia poſſent, niſi talis cenſura, ſine omni intelligentia, ſuccederet. Ergo Lyſiphon ſuo iure viſus multisque probatus eſt, quibus videbatur aliquis, quod peregrina tantum laudaret, quantum faſtidiret domeſtica.

Si iſta omnia vobis non videntur ad veri ſimilitudinem accedere, lectores; attendite modo, forte vobis occurrent permulti cenſores, qui, quamuis vtrumque habeant oculum, non magis res perſpiciant, quarum ſibi arrogent iudicium, quam hic Lyſiphon noſter.

SVPER

SVPER RECTA VIA

AD DOMINATIONEM
IN LITTERIS OBTINENDAM

AD STVDIOSOS EARVM

SERMO

Ego vero, humaniſſimi commilitones, tot moleſtiſſimis erroribus ambagibusque vos iactari imo confici, iiſque ad gloriam veſtram nihil omnino proficere, non diutius patiar; ſed breuiſſima via ad immortalitatem nominis et ſummam inter doctos homines auctoritatem perducere conſtitui. Si itaque vobis ipſis bene vultis; ſi vitam collocare quam perdere, praemia accipere, quam ſpe iuſtiſſima deiici magis cupitis, inſtitutioni meae, ad quam calamitatis veſtrae miſeratione permotus ſum, faciles praebete aures. Eximet ea mentibus veſtris errores omnes, quibus deprimere vos doctorum veſtrorum inuidia conata eſt. Addet conatibus veſtris bonum euentum, libris laudem, nominibus famam et celebritatem, iudiciis et ſententiis auctoritatem, verbis fidem, placitis adſeclarum ſtudia, imo earum rerum omnium poſſeſſionem, qua, etſi vobis ſummo iure debeatur, nunc ſine culpa veſtra aliorum maleuolentia caretis. Atque

pro-

profecto, ſi quod praemium e litterarum ſtudio contingere noſtra aetate adhuc poteſt litterato viro, id omne in nominis claritate, et auctoritatis apud alios facultate, quaerendum eſt. Quis enim diuitias e litteris hoc tempore ſperet? quo praeclare cum doctis viris actum exiſtimetur, ſi famis miſeriae erepti fuerint, cui ad honores et dignitatem litterae aditum patefacient, quae turpiſſimam repulſam non raro pariant. Ergo, ſi quid eſt, quo frui litterarum ſtudioſi poſſint, ſola eſt *nominis* celebritas et coniuncta cum ea inter ceteros doctos homines auctoritas, in qua ipſa dominationis quaedam ſpecies latet. Quicunque itaque litterarum viam ingrediuntur, ii debent profecto, aut omnem praemiorum ſpem abiicere, aut hoc vnum, cuius ſolius relictam ſibi facultatem videant, omni ſtudio appetere. Quare boni iuuentutis magiſtri diſcipulos ita inſtituere cupientes, vt magis collocare tempus, quam perdere diſcant, ſummo huius inter ceteros doctos homines principatus deſiderio iuuenes debent inflammare, iiſque *hanc*

ſolam

ſolam viam oſtendere, quae glorioſa ſit, et ad communem exiſtimationem honorificentiſſima. Hoc pacto de vobis, Optimi Commilitones, bene mereri, et hac mihi dicendi data facultate ita vti, conſtitui, vt, quomodo hanc dominationis et principatus poſſeſſionem nanciſci et tueri poſſitis, exponam.

Neque vero dubito, vos, humaniſſimi commilitones, propter ſummam rei vtilitatem, beneuolos mihi auditores futuros eſſe, quam ſpem vt tanto certius impleatis, vos quoque oro rogoque. Sed, antequam vobis poſſum viam monſtrare, in qua ad tale litterarum imperium debeatis procedere, illius fines et ambitum, deinde talis poteſtatis, qualem eo modo conſequi poſſitis, praeſtantiam enarrabo. Atque profecto omni tempore puto fuiſſe, qui ea auctoritate inter doctos haberentur, vt facile nemo ab eorum ſententiis recedere, aut in libris eorum aliquid reprehendere conaretur, quos comiter ceteri docti homines obſeruarent, quorum iudicia reciperent, laudem

vero et aſſenſum vehementer appeterent. Tales principes litterarum dominoſque doctorum hominum dicimus, non quod doctisſimi, ſed quod feliciter iis artibus vſi ſunt, quas commendare vobis in praeſenti cupiam. Iſti autem; opiniones doctorum virorum regunt, libris et hominibus pretium ſtatuunt, in controuerſiis ſententiam interponunt, et laudem atque riſum, pro arbitrio ſuo, ſcriptoribus diſtribuunt. Talibus nemo, ſine ſummo periculo capitis, poteſt repugnare, quod et ipſi os habeant magna *ſonaturum*, et praeterea tantum adſeclarum numerum, quorum quiſque ad pugnam paratiſſimus ſit, quantus et terrorem fortiſſimo militi incutere poſſit.

Nolite vero exiſtimare, Auditores, tale literarum imperium omnino reditibus carere; doctos enim homines, noſtis, aurum et argentum faſtidire, et ſimilium praemiorum pondera minus affectare, ſed rebus praeſtantioribus delectari. Igitur, quoniam omnis doctrina ad animum pertinet, et parum corpus reſpicit; reditus quoque, e tali lit-

litterarum et animorum imperio, corporei eſſe non poſſunt, ſed ad animi ſolius ſenſum comparati, cuius generis ſunt nominis celebritas, aliorumque admiratio. Dulciſſimos vero doctrinae et litterarum fructus nactus fueris, ſi libri tui auidiſſime emantur, omnes litterarii iudices laudibus te tuaque omnia extollant, cupidi librarii fores pulſent, et, aut libros vrgendo Tuo beneficio lucrum captent, aut ignoto ſcriptori tui praefaminis commendationem exorent, noui ſcriptores libros, poetae carmina inſcribant. Quod ſi talia conſecuti fueritis, principes profecto litterarum dominoſque vos reuereantur omnes.

Enimuero, Auditores, iſta omnia non difficulter et multo labore aut ſtudio contingere putate. Etſi enim talia forte dicunt et iactitant nonnulli, deterrere potius a litteris, quam ad eas perducere iuuentutem cupientes, his ipſis tamen fidem nunquam habete, ſed credite mihi, volenti nunquam exitum deficere. Qui vero ſimilem affectet principatum, omnem eiurare debet

 mo-

modeſtiam. Stupetis vero ad talem orationem, at quare? quoniam a pueris audiuiſtis, modeſtiam eſſe omnium virtutum, quae in doctum hominem cadere poſſint, quaſi reginam, quae ſola ornet homines, contra ea deficiente, neminem probari. Riſum fere cohibere non poſſum, Auditores, Non credidiſſem facile, hoc ſeculo futurum eſſe quemquam, qui fidem talibus nugis adhuc habere poſſet. Tenete hoc, Auditores, et nunquam e memoria dimittite; nulla magis inuidioſa virtus eſt, quam modeſtia. Haec a fructu et ſenſu reliquarum virtutum, eruditionis, laudis, famae, celebritatis, homines arcet, optimos viros ad eorum humilitatem, quibus nulla merita ſunt, deprimit, imo virtutum ſplendorem obſcurat, et, quo minus ea alii homines excitari poſſint, impedit. Iſtam vero, quae vobis omnem recte et pulcre factorum conſcientiam eripiet, animoſque veſtros innumeris anxietatibus et periculorum vaniſſimorum terroribus excruciet, tanto impetu quaeratis? Colligite potius animum, vobisque ipſis magnum pretium ſtatuite, ſic ſcilicet

licet alii quoque vos eodem ordine cenſebunt. Sed, aitis, immerita laus non durat? Sunt, qui verum videant, et nos a mala poſſeſſione deiicient. Ergo hos paucos homines tantopere curetis? Mihi quidem nondum recte perſpicere videntur, quomodo laus contingat, qui in tam tenuibus rebus haerere queant. Nonne noſtis, famam numero admiratorum aeſtimandam eſſe, nec facile negari vlli, qui eam ſtudioſe appetat. Etenim pauci ſunt, qui ſuo iudicio ſtatuere de alienis rebus valeant, maxima pars aliorum ſententias recipit, et admirationem laudemque nemini negat, qui ſibi eam deberi dicere et affirmare poſſit; In his nulla potentior ad laudem commendatio, quam animi fiducia, male nonnullorum fraude impudentia dicta, futura eſt, haec inuitis et repugrantibus laudem extorquebit, et tantam vobis tribuet, quantam vobis deberi profeſſi fueritis. Haec libros innumeros vobis pariat, imo ad difficillima et adeo viribus veſtris maiora ſuſcipienda animum addet. Propterea huic potius virtuti, quam modeſtiae operam date, deinde

ſcribite! Scribite, inquam, non ceſſate, ſed quotidie aliquid noui protrudite, quotidiana enim ſcriptio ad principatum litterarum multum valet. Nam, vti populorum imperium bellorum et exercituum numero amplificatur, ita librorum multitudo facillima ad admirationem via eſt. Neque debetis multa anxietate et ſollicitudine argumenta deligere, ſed quaeuis arripere, et in omnes litterarum partes exſpatiari. Talis ſcilicet varietas, ad augendam nominis veſtri gloriam futura eſt fructuoſiſſima. Nolite vero exiſtimare, ea, quae ſcribere velitis, vobis penitus perſpecta eſſe debere. Poteſtis ſcilicet ſcribendo diſcere, quemadmodum alii docendo. Sed cauendum eſt vobis, ne tale quid lectoribus titabatione veſtra innoteſcat. Eſt enim quoddam orationis genus, quod ſcriptoribus e labore ſuo celebritatis praemia ſperantibus, ſolum conuenit, bonus ſcilicet ſcriptor non diſputare ſed pronunciare debet, nec ſemper addere ſententiae cauſas; quo facto quis audeat, tali homini, omnis verae eruditionis ſtatori et vindici fidem negare?

Nonne

Nonne vera habeantur, quae hic tantus vir dixerit? Deinde, Auditores, ad librorum commendationem magnam habent praefationes facultatem. E his fere agnoſci haud difficulter poteſt, qualis ipſe ſcriptor ſit. Si excuſationibus ad temeritatis deprecationem, ſi blanditiis forte vtatur, ad conciliandos libro ſuo lectores, ſi non alienum ab omni errore librum confitatur, nihil apud pleroſque proficiet. Omnes e ſermone videant, nouum ſcriptorem talem eſſe, iudicii dicendi facultate vtantur, reiicientque librum forte minime contemnendum. Id contra ei minime metuendum erit, qui ſibi tantum ipſi tribuat, quantum ab aliis ſibi velit dari. Hic potius omnem praefationem laudibus ſuis eximet, gratulabiturque doctis hominibus talis libri vberrimos fructus, et, horrendis ſanctionibus propoſitis, reprehenſores omnes deterrebit.

Non minus vero, quam ipſae praefationes, capitum et paragraphorum inſcriptiones prodeſſe ſolent. Nam maxima pars

 ho-

hominum id magis curat, quod in vnoquo que libro dici potuerit, quam, an, et quomodo dictum ſit. In quibus titulis conficiendis, multae cautiones neceſſariae ſunt; et primo quidem, maxima ſcriptor debet lectoribus ſuis promittere, deinde in vnoquoque tali titulo numerum quemdam doctiſſimorum virorum recenſere, quorum aut errores notati, aut opiniones impugnatae ſint, deinceps hoc quoque multum proficiet, ſi de opinionibus, quas ipſe amplectatur, poſſit nouitatis quandam ſuſpicionem apud lectores excitare. Etenim tanto multis probabilior videbitur liber, quanto plures in eo ſententiae nouae et ab aliis nondum receptae proponi dicantur. Quoniam vero difficile eſt noua proponere ſpeciem nouitatis antiquis rebus poſſumus tribuere, ſi eas nouas appellauerimus. Cuius quoque rei facile fidem facere poſſumus multis, cum pauci ſint, qui ita artem teneant vniuerſam, vt auctores opinionum tempusque, quo inuentae ſint, ſciant. Iſtis artibus, Optimi Comilitones, libri excerpta conficieutibus litterarum iudicibus gratiſſimi fient,

fient, quorum praeiudicio vulgi quoque opiniones regi, nouimus. Cum enim e titulis inſcriptionibusque paragraphorum, aut praefationibus minore moleſtia libri excerpantur, quam ſi vniuerſos legere deberent, propterea quoque grati eſſe ſolent aduerſus talem ſcriptorem, cuius prouidentia excerpendi onus fuerit leuatum, et tale beneficium maxima laudis profuſione compenſabunt.

Deinde ad doctorum hominum de vobis exiſtimationem augendam, nihil magis efficax eſt, quam librorum veſtrorum a vobis ipſis facta frequens commemoratio, ſcilicet lectores, ad diſſertationes, proluſiones, exercitationes, orationes vel alia, quae edita a vobis ſint, debetis remittere, ſi quis liber veſter aliquoties typis exſcriptus fuit, nolite hoc ipſum omittere, ſed monete lectores talem tantumque fauorem vobis contigiſſe, per quem librarius repetitae editionis felicitatem experiri potuerit.

Sed, quemadmodum bellis et victoriis populorum rectores inclareſcunt, ſic contro-

trouerſiarum et alteroationum multitudine et varietate docti homines nobilitantur. Enimuero, non cum quouis e triuio decertare debetis Auditores, ſed tales petere, quibus omnes doctrinae et ſubtilitatis laudem concedant. Eiuſmodi controuerſia multum vtilitatis famae veſtrae afferet. His ipſis, quos reprehenditis doctiores videbimini, quoniam, in quibus erratum ab iſtis ſit, potueritis videre. In talibus controuerſiis non ſemper vno eodemque modo agendum eſt, mox enim aduerſarium laudando, mox carpendo eumdem, cauſae veſtrae, poteritis conſulere. Si vero iam ad aliquem modum veſtra fama excreuit, tunc, quando vos ipſos alii petant, nil magis glorioſum ſilentio eſt, quo, vos tales rixas contemnere, declarabitis. Sed, debet vobis in promtu eſſe vnus e aſſeclis veſtris, homo robuſtus, qui veſtram cauſam defendet. Huic poteſtis ſtrenue impertire omnia, quae vobis dicenda pro ea videantur. Sed ſimulare tamen debetis, iſta omnia a diſcipulo veſtro, vobis ignorantibus et inuitis facta eſſe; vobis quidem gratum animum

iſtius

iſtius hominis, quo defenſionem veſtram ſponte diſciplinae fructuoſae recordatione ſuſceperit, probari, ceterum vos maluiſſe totam rem ſine omni defenſione doctorum hominum iudicio relinquere. Ea ratione minuetis aduerſariorum pondera, quae multis deinde, quoniam vos ipſi negligenter ea curetis, nullius momenti videantur.

Si quis vero cupit celebrari a plerisque, is maturiore aetate diſcipulorum cohortem debet colligere, quam vel inuitam ad ſcribendum compellat; Iſti ſcilicet, ſi non immemores diſciplinae videri velint, vbique profecto, vbi vel tenuiſſimam occaſionem nacti fuernt, mentionem praeceptorum ſuorum facient eoſque extollent, vel praefationes a praeceptoribus ſibi expetent, in quibus eos viciſſim laudare poſſit praeceptor, eoque ſuauiſſimo laudis concentu, facile alios quoque ad ſe laudandos et admirandos perducere.

Quicunque ergo ſuae laudi velit proſpicere, inprimis academicus doctor, is vehementer fouere et iuuare auditores ſuos debet,

bet, eosque, ſi fieri poteſt, in diuerſas academias externas ad placita ſua communicanda emittere. Id ſcilicet ad nominis laudem non paucis profuit philoſophis. Nec mirum eſt, talem rem fructuoſam ad litterarum imperium eſſe, quae populorum rectoribus ſummam afferat vtilitatem. Nam, quare tandem tribunos militum ſuos emitterent in diſſitas regiones ad ſollicitandos hnmines, et legendos milites, niſi quod militum numero augeri potentiam, et pro potentiae incremento, etiam auctoritatem inter alios populos crederent. Noſtri vero litterarii principes nihil magis debent prouidere, quam vt ſibi tantum aſſeclarum uumerum conquirant, quantum vel maximum poſſint. Si ergo in multis Academiis aut ſcholis docent ii, quos tua commendatio tali uuneri admouerit, num putes aliquem tam ingratum futurum eſſe, quin ſempiternam tui mentionem faciat, libros tuos ad caelum extollat, et auditores ſuos eadem reuerentia erga te impleat, quali erga te ipſe ſit.

Sed nulla res ad principatum quoque et exiſtimationem magis iuuat, quam quaedam cum orbis terrarum dominis et potentibus viris coniunctio et quaſi familiaritas. Si quis enim ab iis donis aut titulis ornatur,

tur, aut in aula fouetur, nulla amplius dubitatio apud ingentem hominum numerum relinquitur, ſummum virum merito ſuo talem habendum eſſe. Qui vero talia cupit, debet eo animo eſſe, vt in omnibus litterarum partibus etiam iis, quas forte nunquam attigerit, poſſit pronunciare, atque omnem occaſionem arripere, qua ſe oſtentare aliis poſſit. Si loquitur non debet pudore ſuffundi aut trepidare, ſed decernere. Sic pleriſque profecto placebit impudentia, quibus forte doctrinae cauſa nunquam placuiſſet.

Cum ad gloriam augendam nihil magis proficiat, laude externarum nationum, nolite hanc nobiliſſimam viam omnino negligere, ſed praeſertim vobis litterarios iudices inter hos populos conciliate. Horum laus quoque apud populares veſtros magnopere veſtram auctoritatem augebit, qui, excitati voce externa ad merita veſtra curatius conſideranda, et vos laudandos adigantur. Huius externae laudis non minima pars eſt, ſi libris veſtris verſionum felicitas contigerit. Liber enim bonus habetur, quem alii quoque populi ſua ciuitate donandum exiſtimauerint. Qui itaque hanc commendationem libris ſuis tribuerit, is ſuam laudem multum putet auctum eſſe.

His

His itaque artibus,optimi commilitones, ipſi poteſtis vobis ad immortalitatem nominis et admirationem aliorum viam patefacere. His artibus, quaſi regnare in litteris et imperare doctis hominibus poteſtis. Haec ſola regia via eſt, quam litterarum ſtudioſus inire, in qua praemia adſiduitatis et vigiliarum ſperare poſſit. Ergo ite, ite et feſtinate, non amplius vos moror



IN.

INDEX
EORVM QVAE IN HOC LIBRO OCCVRRVNT

Promulſis Prima, ſiue *de vita Ioh. Friderici Chriſtii, ad Clariſſimum Paciaudium Clericum Regularem, Ordinis Hieroſolymitani Hiſtoricum, Societatum Regiae Inſcriptionum et litterarum humaniorum Pariſinae, Paſtorum Arcadum, et latinae Ienenſis Sodalem, epiſtola.* p. 1

Promulſis altera. *Garrulitas quorundam Satirica, cauſa odii in Satiram.* XXXXV

INDEX
COMMENTATIONVM QVAE IN LANCE SATVRA OFFERVNTVR

I *Analecta ad Thomam Crenium, de furibus Librariis* p. 1
II *Pro Rabulis* Oratio 29
III *Pro Iureconſultis, qui litteras humaniores contemnunt;* ad Virum Conſultiſſimum Ioh. Auguſtum Bachium Epiſtola (*) 51
IIII *Eloquentiae Mauritanae Specimen, boni Exordii Exemplar* 75
V *Super fiducia virium*, ad Virum Clariſſimum Henocum Chriſtianum Auguſtum Othonem Epiſtola (**) 81
VI *Super vtilitate lectionis Auctorum Claſſicorum*, ad iuris ciuilis ſtudioſos allocutio (†) 93
VII *Cenſus Apollinaris* p. 113
VIII *Pro bellis Philoſophorum* 139

VII

(*) Haec epiſtola iam edita fuit A. 1750

(**) Haec epiſtola machinis exſcripta prodiit 1755

(†) Haec allocutio praemiſſa eſt noſtrae *Gronouiarum Obſeruationum* editioni.

VIIII *Patris et filii Medicorum dialogus* (*) 143
X *De ſuperiori dialogo*, ad virum Experientiſſimum Ampliſſimumque Carolum Philippum Geſnerum (**) Ioh. Matth. fil. epiſtola 161
XI *Pro Philoſophia ad Philoſophos deprecatio* 169
XII *Fragmentum Anonymi ſcriptoris, de incredibilibus hiſtoriis*, nunc primum editum
α) *Praefatio* 191
β) *Caput quintum Inſula Litterata* 201
γ) *Martini Criſpi, Ludi cuiuſdam pagani nuper magiſtri, elogium, a Cyriaco Agricola eiuſdem pagi Paſtore publicatum* 215

(*) Hic dialogus ex epiſtola noſtra *pro Experientia Medicorum per mortes* natus eſt.

(**) Iucundiſſimus nobis fuit nuncius, quo interea, tum hic liber edi poſſet, eundem nobis amiciſſimum virum, ad quem haec epiſtola ſcripta eſt, a Rege Poloniarum Aulae Conſiliarium et Archiatrum appellatum eſſe, cognouimus.

XIII *Rex et Philoſophus*, *narratio* p. 225
XIIII *Pro Theologorum ſalutari a litteris abſtinentia*, ad Virum Clariſſimum Geo. Godof. Zemiſch epiſtola 231
XV *Laus Erroris*, *Oratio*; praemittitur ad Virum Celeberrimum Abr. Goth. Kaeſtnerum, epiſtola 261
XVI *Iouis Iudicium* 275
XVII *Celebritatis pretium* 293
XVIII *Iter Caeci* 297
XVIIII *Super recta via*; *ad dominationem in litteris obtinendam*, *ad ſtudioſos earum ſermo* 301

CORRI-

CORRIGENDA ET EMENDANDA.

P. 8. lin. penult. pro *ſuccedere* lege *ſuccederet;* p. 16. l. 4. pro *adfertur* l. *aufertur.* p. 32. l. 9. pro *vellent* l. *velint.* l. ſeq. pro *negarent* l. *negent.* p. 34. l. 7. pro *potente* l. *potenti.* p. 42. l. 8. pro *proemiis* l. *praemiis.* p. 45. l. 12. pro *propellerent* l. *propellant.* p. 47. l. 14. pro *contuliſſent* l. *conferant.* p. 56. lin. antepenult. abundat, *poſſit.* p. 58. l. 17. pro *Conſutiſſime* l. *Conſultiſſime.* p. 63. lin. penult. pro *nefando* l. *ne fando.* p. 70. l. 11. poſt *ab eo* omiſſa ſunt verba, *fieri poſſe.* p. 77. l. 6. pro *ſaguiniſque* l. *ſanguiniſque.* p. 79. l. 7. pro *occupaſſet* l. *occuparet.* p. 86. l. 5. pro *Perferendo* l. *perferendo.* p. 89. l. 13. pro *et* l. *vt.* p. 117. l. 3. pro *binos* l. *duos.* p. 121. l. 19. pro *infudiſſent* l. *infuderant.* p. 124. l. 5. pro *Adetpi* l. *Adepti.* p. 128. l. 4. poſt *ſatius* omiſſum eſt, *tamen.* p. 134. l. 1. pro *putem ac ſperem* l. *puto ac ſpero.* p. 141. l. 1. pro *binas* l. *duas* l. 7. pro *quo* l. *quod.* p. 150. l. 22. pro *verbo* l. *morbo.* p. 166. l. 1. pro *ſtultitia eorum in noteſcit*, legendum eſt *ſtultitiam ſuam patefacere ſolent.* p. 172. l. 13. pro *deſiderium* l. *cupiditatem.* linea ſequenti, eiuſdem pag. pro *haec* l. *iſta.* p. 173. l. 6. pro *vocum* l. *verborum*, illud enim parum latinum eſt. hoc pertinet quoque ad lin. 13.

eiuſ-

eiuſdem paginae. p. 175. l. 5. pro *aut* l. *et.* ead. pag. l. 19. poſt *attributa*, deeſt; *eſſe.* p. 176. l. 10. pro *poſſent* l. *potuiſſent.* p. 178. l. penult. pro *contigiſſent* l. *contigerant.* p. 183. l. 3. pro *rabiem* l. *proelia*, illud enim verbum nimis durum nobis inuitis excidit. p. 187. l. 4. pro *audent* l. *audeant*, ib. l. 8. pro *Cum his* l. *quibus.* ib. l. 13. pro *Et hoc* l. *quo.* p. 192. l. 22. *propter non impletam conditionem* abundat. p. 194. l. 11. *ab* otioſum eſt. p. 166. l. 17. inſerendum eſt poſt *declarat*, verbum *quem.* p. 201. l. 15. pro *centum* l. *certum.* p. 207. l. 16. pro *paternus laudes* l. *eas.* p. 209. l. 1. pro *quibus* l. *iis.* p. 238. l. 20. pro *etiamſi* l. *etiam.* p. 242. l. 3. pro *vocum* l. *verborum.* p. 248. l. 15. pro *aui* l. *qui.* p. 252. l. 7. pro *Capellae* l. *Capelli.* p. 206. l. 14. pro *ita quoque tanto* l. *tanto quoque.* p. 290. l. 14. pro *natura nunquam* l. *naturam nunquam.* p. 311. l. 9. pro *conſitatur* l. *confiteatur.* p. 315. l. 15. pro *fuernt* l. *fuerint.*

* * *

In praefationis p. 5. l. penult. *ipſum* abundat. p. XVI. l. 3. poſt *bellum* inſere *eos.* p. XX. l. 7. *nomine* delendum eſt. p. XXI. l. 14. poſt *quem* ponendum eſt, *ſe.* p. XXX. l. 10. pro *reperit.* l. *peperit.* p. XXXII. l. 7. poſt *tempore* inſerendum eſt *propoſitam.* p. XXXV. lin. antepenult. poſt *quam* ponendum eſt, *ex.*